

HN 2CGS C







Abicht

D. Jo. GEORG. ABICHTII,

S. L. PROF. PUBL. ORD.

ARS


DISTINCTE LEGENDI ET INTERPRETANDI SCRIPTURAM S. V. T.



LIPSIÆ,

Apud Jo. CHRISTOPH. König/

Anno 1710.



VIRO

MAGNIFICO. SUMME. REVERENDO. ATQVE. EXCELLENTISSIMO

DN. HENRICO PIPPINGIO

DOCTORI. THEOLOGO. DE. ECCLESIA. CHRISTI MERITISSIMO

SACRÆ. REGIÆ. MAJESTATIS POLONIARUM. AC. SERENITATIS. ELECTORALIS

SUPREMI. SENATUS. ECCLESIASTICI. DRESDENSIS

CONSILIARIO. ET. ASSESSORI SACRORUMQVE. IN. AULA. ANTISTITI. PRIMARIO.

PATRONO. AC. MÆCENATI. SUO. MAXIME VENERANDO

FELICITATEM.

MAGNIFICE DOMINE.



Ummam necessitatem nostris temporibus omnes sacrarum literarum cultores ad hebrææ linguæ studium impellere, in confesso est; vix enim ullus sectariis vel hæreticis, suos errores ex Codice hebræo confirmantibus, quicquam respondebit solidi, nisi hujus

linguæ peritus; vix ac ne vix quidem catecheticas, biblicas aut polemicas lectiones frequentabit digne, qui argumentorum vim αὐθεντίᾳ textus sacri nixam non percipit. Nec tranquilla satis conscientia scripturæ interpres fidei certitudinem in versione quadam collocabit. Nullam versionem adæquate sensum hebræi codicis cum ponderibus repræsentare, solumque authenticum textum infallibilem esse, omnes confitentur; pauci tamen sunt, qui ex fontibus concionari, disputare & informare discunt. Ut itaque perspicua methodo Theologiæ consecraneos, quos de accentuum difficultate sæpius conquestos audivi, ad faciliorem Codicis Hebræi lectionem invitarem, hunc libellum edidi, qui rationem tradit, qua Scriptura V. T. secundum accentus legenda, intelligenda & vertenda sit. Hunc vero Tuo Splendido Nomini dicare multæ causæ fuerunt. Cognovi, TE, quæ passim fere contemnuntur, orientalium literarum esse callentissimum, easque cum Megalandro nostro Luthero summo in pretio habere. Jam vero divina providentia, Tuaque ex assiduo studio doctri-

na, & ex diuturno rerum usu prudentia in eum TE locum evexit, ut hebræis imprimis literis, quarum fructus immortalitas, & Ecclesiæ salus est, dignitatem restituere possis. Ad ostendendam quidem observantiam & pietatem in TE meam, egregium quid atque excellens comminiscendum erat, sed Tua benigna in me voluntate fretus exhibeo folia, TE minus digna, sed ad studiosæ juventutis usum destinata, rogoque, ut quod de suo favore iis negavit fortuna iniquior, a favore & benevolentia Tua impetrent. Summum Numen TE suæ gratiæ umbone tegat, ut Ecclesiis, Academiis & scholis turbulentis nostris temporibus cælitus armatus præsis, nosque prudentia Tua securos præstes.

TUÆ SUMME REVER.
MAGNIFICENTIÆ

Lipsiæ prid. Non. Octobr.
Anno MDCCX.

ad obsequia paratissimus

JO. GEORG. ABICHT.
L. B.

L. B.



E arte Scripturam Sacram V. T. distincte legendi & interpretandi pagellæ, quas conspicis, agunt, regulasque exhibent, non ex aliis haustas, sed ex quotidiana Codicis hebræi lectione per plures annos continuata, observatas. Plerique hactenus accentuum doctrinam in regularem & irregularem distinxerunt & utramque æque multis exemplis illustrarunt. Causa, quæ eos impulit, ut duplicem accentuationem statuerint, ex primo fundamento, quod supposuerant, orta est. Existimarunt enim, quod primus accentuum Auctor duas tantum voces dictamine grammatico connexas conjunxerit. Cum vero multas voces eodem modo connexas, modo distinctas modo conjunctas observarent, ad aliam hypothesin confugerunt, docentes, quod servi fre-

quenter loco distinctivorum, & vice versa, hi loco illorum ponantur. Ex his fundamentis, auctoritate humana suppositis, haud pauca natæ sunt regulæ, quæ multis suspectæ fuerunt. Alii sibi persuadere non potuerunt, quod accentus distinctivi toties conjungant, & conjunctivi toties distinguant. Alii hanc doctrinam, tot anomaliis implicatam, prorsus abjecerunt, & accentus tantum Judæorum absono cantui inservire, & nihil quicquam ad distinctam Codicis lectionem conferre existimarunt. Testatur hoc, uti videtur, Joh. Brunsmanni *libellus de accentuationis hebraicæ distinctivæ novella arte, qui anomalico illo accentuum positu quam maxime offensus est, ut non sine ratione persuasus sim, eum calamum retraxisse, si saniores regulas legisset. Quam contemtim* Cl. Clericus *de accentibus hinc inde loquatur, ex ejus commentariis & arte Critica apparet. Nullus dubito, quin multo felicius codicem hebræum interpretatus esset, si* Capelli *sententiam paulisper seposuisset, & codicem ipsum secundum accentus distinctius legisset. Præterea intricata hæc accentuum doctrina multos a studio hebraico*

opti-

optimos juvenes deterruit, maxime cum Mosen mendicare, & ejus linguæ studium omnibus aliis postponi viderent. Cum itaq; tot damna ex accentibus, minus recte explicatis, in hebræam linguam redundare animadverterem, eos luculentius explicare suscepi. Perpensis vero omnibus, quæ ad veram accentuum rationem quicquam adferre poterant, cognovi, quod illi eo fine codici sacro adscripti sint, ut veram, distinctam & euphonicam versuum lectionem indicarent. Quare duo fundamenti loco supponenda esse existimavi; 1) quod omnes accentus distinctivi semper & ubique lectionem versus distinguant, eumque in varia membra dividant, quæ pro ratione majoris vel minoris distinctionis etiam magis vel minus in lectione & interpretatione distinguenda sunt. 2) quod omnes accentus servi semper & ubique syllabas & voces sequenti distinctivo in lectione adjungant, easque sensu connexo vertendas esse indicent. Hæc esse genuina & vera accentuum fundamenta, me non solum perpetua codicis lectio docuit, sed eadem Judæis Hispanis, legem Mosis distinctius legentibus, approbari intellexi. Nec dissentiunt Gram-

matici

matici Judæorum, nec Talmudistæ, prout ex locis cap. I. allegatis, apparebit. Quamvis vero Judæos hac in parte consentientes habuerim, eos tamen inter artis hujus magistros numerare non potui, partim quod in iis absona mysteria venentur, partim, quod de distinctivorum proportionibus hactenus nequicquam tradiderint, ego sane neque in R. Calonymi *appendice, neque in* Eliæ Levitæ Tobh Taam, *neque in* Siach Jizchak, *neque in* Binjan Schlomo *quicquam de iis invenire potui. Sed vereor, ne multi hunc laborem inutilem atque frustraneum esse existiment, ea ratione inducti, quod nostro tempore accentuum auctoritas fere suppressa jaceat, ejusque origo vel ad sextum, vel ad undecimum seculum referatur. Nuper Cl.* Basnagius Tomo II. Historiæ Judaicæ L. III. cap. IX. p. 763. seq. *vocalium & accentuum auctores in Seculo undecimo collocavit, quo Judæi Grammatico studio operam navare cœperunt, primosque hebraicorum punctorum & Masora inventores Aaronem ex Ascheritis, & Mosen ex Nephtaleis oriundos appellavit, quos primum consonantes correxisse, adeoque Keri & Kethib con-*

sti-

stituisse, & deinde quoque vocales subjecisse existimat. Sed omnia hæc in errore versari, non sine ratione, opinor. Seculo enim nono Saadias Gaon *Iggoron, seu librum de Grammatica scripsit, & de punctis vocalibus disputavit. Quod Keri & Kethib jam LXX. senum & Jonathanis ætate, qui Salvatoris tempora antecesserunt, in codice hebræo adfuerint, infra p. 240. manifeste ostensum est; loca enim scripturæ produxi, in quibus vertendis alter illorum interpretum Keri, alter Kethib secutus est. Accentus quod attinet, eos merito longe antiquioris ætatis reputamus, vel ea ratione moti, quod accentuum hebraicorum figuræ quædam in antiquissimorum Ecclesiæ Patrum* Evangelistariis *reperiantur, quas dubio procul primi Christiani ex Ecclesia Judaica in Christianam una cum cantu introduxerunt. Cantum Gregorianum, qui hodie cantatur in Ecclesia, a Judæis sumsisse originem, observavit Cl.* Calvör, *hac ratione persuasus, quod ipsa modulatio Judaicæ sit affinis.* Rit. Eccles. Part. II. Sect. V. cap. XIIX. p. m. 679. *Si non easdem, similes tamen notarum Musicarum figuras delineavit Cl.* Montfoucon

in

in Colbertino octavi seculi codice inventas. Evolvat, cui placet, ejus Palæographiam Græcam, *L. III. cap. VI. p. 229. & 234. & appendicem p. 514. ubi varias notulas musicas ad inflexiones vocum, in Evangeliorum cantu observari solitas, nec hebræorum accentuum figuris dissimiles invenimus. Imo si antiquiora Græcorum musicorum tempora repetimus, eorumque notas musicas cum nostris accentibus componimus, similes in plerisque figuras cognoscimus. Contulimus quasdam infra Cap. I. §. XII. p. 13. sqq. easque aliis, in Græcorum Musica exercitatioribus examinandas reliqui. Optime mihi laudatus* Montfoucon *monuisse videtur, quod, si notæ musicæ a suis L. V. c. III. positæ diversæ inveniantur, ea diversitas librariis, a prisca forma deflectentibus, adscribenda sit. Si vero inter ipsos Græcos characterum musicorum convenientia non constat, multo minus ea ab Hebræis expectanda erit, sufficit utriusque gentis notulas musicas in plerisque convenisse. Si vero prisci Patres, si antiqui Græcorum Musici, quorum quidam Alexandri ætate floruerunt, cum Judæis communes, vel similes notas musicas habuerunt, veritati consentaneum videtur, quod*

tam

tam Patres, quam Græci Musici eas a Judæis primis inventoribus acceperint. Ab Hebræis Davidis & Salomonis temporibus Musica exculta est, apud Græcos posteriori ætate floruit. Græcorum literæ suam originem Phœnicibus vel Hebræis debent, teste Bocharto Geograph. S. *Part. II. L. I. cap. XX. p. 490. sq.* Lambecio Prodr. Hist. Lit. *L. II. cap. II. p. 161. seq.* Montfouconio Palæogr. *L. II. cap. I. p. 115. quibus alii eruditi assentiuntur. Cur Græcorum notis musicis non eadem origo tribuenda sit, rationem non video. Fatentur Græci, quod istæ notulæ literarum Græcarum sint particulæ, quod & adspectus docet. Sed Græcorum literæ, sunt Hebræorum literæ antiquæ, vel inversæ, vel temporis successu paulo aliter inflexæ, quod l. c. laudatus* Montfoucon, *aliique docent, quidni ergo notæ istæ Hebræarum potius literarum particulæ dicendæ sint? Sed eos, qui* Capelli *vestigiis insistunt, mihi regerere audio, quod si Esræ tempore accentus Codici hebræo fuissent additi, LXX. senes versione eosdem expressissent, nec alias versuum & membrorum distinctiones exhibuissent. Sed ex hoc nihil metuendum, Auctores LXX. Vir. versionis codice non punctato*

ctato usos esse, palam profitemur. Sed fabulam ex ficto Aristea *de LXX. senibus vulgatam, ut & eam seculo secundo de LXXII. cellulis natam, merito cum* Hieron. *rejicimus. Fidem potius merentur, quæ Cl.* Hodius *de veris LXX. Viralis Versionis Auctoribus tradidit, quod Judæi Alexandrini, sive Ptolomæi jussu, sive proprio ausu plerosque libros codicis Hebræi in Græcam linguam transtulerint. Prolixe hoc probavit ex vocibus Alexandrinis & quibusdam sententiis in versione hac occurrentibus L. II.* de Bibliorum textibus originalibus. *Hi vero Alexandrini Judæi, a Ptolomæo Lago in Ægyptum deducti, non solum ex montano Judææ tractu, sed & Samaria, & monte Garizin fuerunt, teste* Josepho *Lib. XII. Antiquit. cap. I. p. m. 388. Hinc mihi videtur, quod Mosis libri non ex codice Esræ punctato, sed ex Pentateucho Samaritano a Judæo Samaritano sint translati.* Hottingerus *sane, qui LXX. Viralem Versionem cum Samaritano Codice contulit, quamplurima loca versionis Græcæ cum Samaritano codice consentire observavit, conferatur* Thes. Phil. L. I. c. III. a p. 194. ad 300. *Confirmant sententiam, quæ* Abulphetachus *in Chronico*

Sa-

Samaritano memoriæ prodidit: Anno M. 4150. annoque 10. Ptolomæi Philadelphi egregii literarum fautoris, accitis Alexandriam Aarone & lectissimis Samaritarum, nec non Doctoribus Judæorum sub Eleazero suo, ut Legem Mosaicam in Græcorum dialectum transferrent ex Hebraico, cum de monte locoque electo Templi, & (in Deut. 32. 35.) de die retributionis, aliisque in versibus Versiones istæ variarent, Rex approbavit magis Samaritarum interpretationem, eosque splendidis muneribus donavit; imo vero Judæos ille monte benedicto Garizin Rescripto omnino arcuit. Referunt autem triduanas tenebras passum fuisse mundum, cum Judæi in Græcam Mosis libros verterent. *Quamvis quædam sint, quæ fictam Aristeæ fabulam oleant, non tamen dicere potuisset* Abulphetachus, *quod Ptolomæus Samaritanorum versionem approbaverit, nisi eam cum Samaritatano Codice convenire cognovisset. Et sic fortasse reliqui libri ab iisdem Samaritanis in gratiam Ptolomæi, & odium Judæorum Hierosolym. ex codicibus non punctatis, versi sunt, partim quod punctati ad eorum manus non pervenirent, partim quod eosdem tanti non æstimarent: nam Hierosolymitani*

sacros

sacros suos libros in Græcam linguam transferre sibi religioni duxerunt. & facta hac versione, quam impedire non potuerunt, solenne jejunium instituerunt eumque diem sibi durissimum habuerunt, uti legitur Tract. Sopherim Cap. I. *fol. 43. col. b. Ex eo itaque, quod Auctores LXX. Vir. Versionis nostri punctati codicis vocales & accentus non expresserunt, non inferre licet, quod eorum ætate nulla vocalium & accentuum puncta extiterint. Nec idem ex* Hieronymi *silentio sequitur, qui quidem Judæos habuit præceptores, utrum vero illi Hierosolymitani, an Samaritani, an accentuum periti, an eorum imperiti fuerint, incertum est. Codices enim punctati tunc temporis rariores & sancte asservati neque ad omnium Judæorum, neque ad Patrum manus pervenerunt. Sed* Talmudistas *quoque nihil de accentibus disseruisse, Capellistæ dicent. Verum enimvero nec hoc dubium quemquam a nostra sententia dimovebit, si modo Talmudis loca, infra cap. I. adducta, ponderare voluerit. Nec desunt alia testimonia ex Bahir & Sohar collecta, quæ spatii angustia exclusa, alii occasioni reservanda sunt. Sic neque reliqua Capelli argumenta ex accentuum multitudine desumpta, quicquam valebunt, si enim singulæ voces certo tono cantandæ vel legendæ fuerunt, necesse est, ut singulæ suos accentus habeant. Omnibus denique, qui codicem Hebræum secundum has regulas legent, ubique sensum perspicuum, aliisque interpretationis regulis conformem certo promitto, quod unicum fere omnia adversariorum tela repellit. Vale.*

CAP. I.



שולת

CAP. I.

DE GENUINO OFFICIO ACCENTUUM.

§. I.

Enuinum accentuum officium explicaturo duo imprimis agenda esse existimo. Primum est, ut antiquitatis testimonia producat, & evidenter doceat, quem usum antiquissimi Judæorum doctores Accentibus tribuerint; alterum est, ut ex ipso accentuum positu, ordine & figura ostendat, quo officio accentus fungi debeant.

§. II.

Auctorem accentuum, qui post reditum

tum ex Babylonia primus Scripturam Sacram ſecundum accentus diſtincte legit & quaſi cantavit, Talmudiſtæ Esram fuiſſe perhibent. Hoc colligitur ex Talmude Hieroſ. Megilla fol. 74. col. 4. ubi ad Nehem. VIII,8. ſequentia commentantur: מניין לתרגום רבי זעורא בשם רב חננאל ויקראו בספר תורה זה המקרא מפורש זה תרגום ושום שכל אלו הטעמים · ויבינו במקרא זה המסורת · ויש אומרים אילו ההכרועים · ויש אומר אילו ראשי פסוקים רבי זעורה בשם רב חננאל אפילו רגיל תורה כעזרא לא יהא הוגה מפיו וקורא כמ"ת שנאמר בברוך מפיו יקרא אלי כל הדברים האלה אני כותב על הספר בדיו· *Unde ſcimus, quod Chaldaice interpretati ſint Scripturam? Reſp. R. Seura quod ex R. Chananaele hanc interpretationem audiverit: Neh. VIII, 8. dicitur: Legerunt in libro legis*, ſermo eſt de Sacra Scriptura, *explicate*, ſermo eſt de Targum, *& appoſuerunt intellectum*, ſenſus eſt, quod legerint ſecundum accentus, *& intellexerunt Scripturam*, hoc eſt intelligendum de traditionibus. *Sunt quidam, qui hoc intelligunt de ſolutionibus* du-

dubiorum circa Scripturam. Alii dicunt, quod intelligantur principia versuum. R. Seura nomine R. Chananaelis dixit etiam: quamvis liber legis sit usitatus, prout ab Esra lectum est, non tamen correctus est per os ejus, cum enim legit, uti lex data est Mosi, quemadmodum legimus de Barucho, Jer. XXXVI, 18. ex ore suo dedit mihi omnia verba hæc, quæ ego scripsi super librum atramento. Docent Talmudistæ, quod Esra, ejusque Socii Scripturam legerint secundum accentus, & quidem eodem sensu, quo lex data fuit populo Israelitico, quodque Esra lectione sua nihil in codice correxerit. Similia fere leguntur in Talmude Babylon. Megilla cap. 1. fol. 3. & Nedarim. fol. 37. c. 2.

§. III.

Scripturam sacram secundum accentus fuisse cantatam constat ex Talm. Babylon. Berachoth fol. 64. מפני מה אין מקנחין בימין אלא בשמאל, רב נחמן בר יצחק אמר מפני שמראה בה טעמי תורה *Quare non abstergunt sordes manu dextra, sed sinistra. Respondet R. Nachman Fil. R. Jizchak, propterea, quod ea ostendit accentus*

tus legis. Quæ verba Rasche hoc modo explicat: טעמי תורה נגינות. טעמי מקרא של תורה נביאים וכתובים בין בנקדן שלן ספר בין בהגבהת קול ובצלצול נעימות הנגנת של פשטא ודרגא ושופר מהפך מוליך ידו לפי טעם הנגינה ראיתי בקוראים הבאים מארץ ישראל: *Accentus legis sunt modulationes accentuum Scripturæ, Legis, Prophetarum, & Hagiographorum, sive in libro punctis sint expressi, sive elevatione vocis, & tinnitu suavi exprimantur, quando nempe hi accentus Paschta, Darga, Mahpach cantantur. Extendit enim cantor manum suam propter accentum, prout vidi apud Cantores ex terra Israelis venientes.* Ex quo patere existimo, quod accentus non tantum vocis modulatione, sed & instrumentorum Musicorum sono expressi, & manu cantoris indicati fuerint.

§. IV.

Hos versuum accentus magna cura suos docuerunt discipulos, uti colligitur ex Talm. Babylon. Nedarim fol. 37. col. 1. ubi quæstio est, utrum pro docenda lege ac-

accipienda ſit merces? quidam putant, quod lex gratis ſit docenda, quia Moſis eam gratis docuit; alii dicunt, quod licite accipiatur merces pro cuſtodia puerorum, quamvis nihil accipiant pro docenda lege. Jochanan exiſtimat, quod licite accipiatur שכר פיסוק טעמים *merces pro diſtinctionibus accentuum*, quia Præceptores una cum lege etiam pueros accentus docent. Quid per פיסוק טעמים intelligatur, explicat Gloſſator: ור' יוחנן אומר שכר פיסוק טעמים שקיל מינייהו שמלמדו ניקוד וטעמים: *R. Jochanan dicit: quod licite merces pro diſtinctionibus accentuum accipiatur ab illis, quoniam docet eum puncta & accentus.*

§. V.

Accentuum modulationes ſimul voces diſtinxiſſe, ut earum ſenſus auditoribus eſſet perſpicuus & intentioni ſcriptoris ſacri conveniens, patet ex Megilla Babylon. cap. IV. fol. 32. col. a. אמר ר' שפטי אמר ר' יוחנן הקורא בלא נעימה ושונה בלא זמרא עליו הכתוב אומר וגם אני נתתי להם חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם: *Dixit R. Schaphti, quod R. Jo-*

Jochanan docuerit: quicunque legit scripturam absque jucundo tono & docet Mischnam absque cantu, in eum quadrant verba: ego dedi eis consuetudines non bonas. & judicia non erunt in eis Ezech. XX, 25. Sensus est: quicunque legit Scripturam & Mischnam absque amœno tono & cantu, & distinctiones accentuum non observat, ille leges divinas minus recte interpretatur. Hunc sensum approbat laboriosus Talmudis interpres Rasche in Commentario his verbis subjecto: נעימה כגון טעמי המקראות *talis jucundus legendi tonus intelligitur, qualem accentus in Scriptura S. indicant.*

§. VI.

Hic vero cantus non tam Musicæ hodiernæ, quam potius cantui chorali respondebat, qui quam proxime ad distinctam oratoris elocutionem accedebat. Hoc ex eo colligimus, quod in dubia versus interpretatione ad accentus provocarent Talmudici doctores, uti legimus in Tract. Chagiga fol. 6. col. 2. רב חסדא תאי קרא' היכי כת' וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עולות כבשים ויזבחו זבחים שלמי'

שלמי' לה' פריכם או דילמא אידי ואידי פריכם חוו למאי נפקא מינה מר זוטרא אמר לפיסוק טעמים R. Chasda quæsivit? qualis est sensus hujus dicti Ex. XXIV, 5. *Et mittebat* (Moses) *servos filiorum Israel, ut offerrent holocausta*; an hic intelliguntur oves? *& mactabant sacrificia pacifica Domino*; an hic intelliguntur juvenci? An vero utrobique intelliguntur juvenci? quomodo egreditur ex hoc? (h. e. quomodo respondemus ad hoc?) Respondit Mar Sutra, solvendum hoc dubium est per distinctionem accentus. Si nimirum in עלות est accentus distinctivus major, statuendum est, holocausta non ex genere juvencorum sed ovium fuisse, si vero in עלות fuisset distinctivus minor, decernendum est, quod holocausta & sacrificia pacifica juvenci fuerint, uti Rasche in Comment. in h. l. explicat.

§. VII.

Talmudistarum sententiam calculo suo Masoræ Magnæ Auctor ad Cap. V. Gen. v. 29. jamdudum approbavit. Ipsa verba addam, quo Lector B. eo felicius de hoc testimonio judicium ferre possit,

זה׳ ה׳ מלין בתרי טעמים בתלשה גדולה וגריש וסי׳ זה׳ קרבו׳ שובו׳ ולאלה׳ זאת׳ והקורא יטעים הגריש קוד׳ התלש׳ אף על פי שהתלשא גדולה עומדת בראש התיבה קדמה דגרישין בתרא דתלשא וסי׳ כי תכלה לעשר: h. e. זה *hoc: sunt quinque voces duobus accentibus signatæ, cum Tlischa gedola* ֠ *& Gerescb* ֜. *Hæc loca sunt Gen. V, 29.* זֶ֠֜ה *Levit. X, 4.* קִ֠רְב֜וּ. *2. Reg. XVII, 13.* שֻׁ֠ב֜וּ *Ezech. XLVIII, 10.* וּ֠לְאֵ֜לֶּה *Zephan. II, 15.* זֹ֠את֜. *Et Lector cantare debet Gereschum* ֜ *ante Tlischam Gedolam* ֠ *quamvis Tlischa Gedola* ֠ *stet in principio. Antecedunt enim Gereschaim* ֞, *& sequitur Tlischa Deut. XXVI, 12.* כִּי תְכַלֶּה לַעְשֵׂר. Ut mentem Masoretarum intelligamus, observandum, quod in consecutione accentuum, quando duæ voces his accentibus ֜ & ֠ notandæ sunt, ֜ præcedat & ֠ sequatur, ut ex allegato Deuteronomii loco apparet; quia vero ֠ in ultima litera poni non potuit, semper enim primam literam vocis occupat, ideoque accentus hi inverso ordine positi sunt, ideo Masoretæ monuerunt, primo loco ֜ & deinde ֠ in lectione esse exprimen-

dum

dum, quo nos evidenter docent, accentus modulatione quadam esse expressos.

§. VIII.

Judæorum Magistri in eo conveniunt omnes, quod accentus sint signa, secundum quæ Hebræus codex cantu quodam legendus sit. Hinc Elias Levita in Libro Tob Taam Cap. II. quæstionem movet, quem in finem tanta distinctivorum & conjunctivorum accentuum multitudo fit? Ad quam hoc modo respondet; יש להשיב כי הטעמים לא נעשו להורות על ההפסקה או על המשכת הענין לבד כמו שחשבו רבים. כי גם להורות על הנגון על השיר להנעים את הקריאה. כי ידוע שהשיר והנגון מעוררים את רוח השכל והעיון כמו שאמר הפילוסוף הטבע ימשך אחר הפלגת השיר ויתפעל בזרותו לכן אין מלה שאין לה טעם מלך ומשרת להורות על נגונו המיוחד לו לא לספק. קריאת הספרדים והלועזים שאינם מנגנים רק המלכים הגדולים ועדין אלו כגון זרקא פזר גרשים תלישא ודומיהן. והמשרתים מעט כלם הם קוראין כנגון אחד אבל אין אנחנו האשכנזים עושים כן אך קורין אנחנו כל טעם בין מלך בין משרת כנגון המיוחד לו : H. e. *Est respondendum, quod accentus non facti sint, ut tantum distinctiones, aut argumenti connexiones indicarent, ut multi putant; Sed etiam ut modulationes cantus ostende-*

rent,

rent, quo lectio jucunda fiat. Cantus enim & modulatio excitant spiritum & intellectum. Sit enim dicit Philosophus, natura appetit cantus variationem, & movit se diversitate ejus. Propterea omnes voces habent suos accentus vel Reges vel servos, qui modulationem voci convenientem indicant; & non superflui sunt. Lectio Hispanorum & exterorum nullos exprimit accentus nisi tantum Reges majores, & praeterea, fortasse modulationem Sarka, Paseris, Gereschin, Tblische & similium. Et servos fere omnes cantant illi una modulatione. Nos vero Germani non sic facimus, sed nos omnes accentus tam Reges quam servos modulatione convenienti legimus.

§. IX.

Ipse quoque accentuum ordo Musicum officium indicat. Quem enim in finem una vox & Monosyllaba duobus signata est accentibus distinctivis? una vox sane non eget duabus distinctionibus? Reperimus vero נח Gen. V, 29. duobus distinctivis notatum, quod omni dubio procul ob duplicem istius vocis modulationem factum est. Porro frequenter voces

voces plurium ſyllabarum vel duobus diſtinctivis, vel altero diſtinctivo & altero ſervo ornatas legimus, quarum exempla infra invenies. Si accentus tantum voces diſtinguerent & conjungerent, alter eorum certe ſuperfluus eſſet. Si vero voces ſecundum accentus cantantur, facile cognoſcimus, quod monoſyllaba & polyſyllaba duobus accentibus, duabusque modulationibus cantari poſſint.

§. X

Dixeris fortaſſe, alterum accentum in Methegi locum eſſe ſubſtitutum; ſed quæro, utrum in voce monoſyllaba Metheg locum inveniat? & an in polyſyllaba Metheg ponatur in ſyllaba compoſita uti in וְהַכֹּהֵן *& ſacerdos* Levit. VII, 8. וְהַבָּשָׂר *& caro* ibid. v. 19. ex quo manifeſte ſequitur, quod Auctor accentuum, accentum tonicum in locum Methegi ſubſtituere nec voluerit, nec potuerit. Si vero contingat, ut accentus tonicus in loco Methegi appareat, illud ideo factum eſt, quod ſyllaba Methego notanda ad modulationem aptior ſit, quam reliquæ: quæ enim ſyllaba in lectione decore eſt

ſuſpen-

ſuſpendenda, ea in cantu facillime modulatione extolli potuit.

§. XI.

Muſicum uſum accentus Servi evidenter quoque docere videntur. Septem diverſos Servorum characteres in codice punctato obſervamus, quos infra deſcriptos invenies. Si itaque ſinguli tantum vocum connexiones indicarent, unus ſufficeret, & reliquis carere poſſemus. Si vero ſingulis præter conjungendi officium diverſam modulationem vel tonum tribuas, omnes erunt neceſſarii: alia enim modulatione vox ante Sillûkum, alia ante Athnacham &c. eſt legenda & conjungenda. Propterea vox Thebhir notata ſibi antecedentem vocem annectit per Dargam, ſi inter tonum & duæ ad minimum Syllabæ intercedant, ſi vero nulla, vel tantum unica intercedat Syllaba, reperitur Servus Merca. Cujus nulla alia dari poteſt ratio, niſi quod Dargæ modulatio majorem moram & plures intercedentes ſyllabas requirat, quam Merca. Porro Paſchta, in antecedenti voce ponit

Kad-

Kadmam, si tono punctum vocale præmittatur, si vero tonus in primam literam incidat, — Munachus invenitur. Ex quo cognoscimus, quod —, qui Syllabam modulatione sua attollit, punctum vocale antecedens, quo ascendat, requirat. conf. exempla infra adducta. Si *Capellus*, ejusque asseclæ hoc recte perpendissent, non clamassent: *quis istorum accentuum usus? quæ utilitas?* vid. Capell. Arcan. L. 1. Cap. XVI. p. m. 741. Porro perpendendum est quod — Paserem, — Karne Param — Thelischa Gedolam, frequenter quatuor, quinque & plures servi antecedant, quod infra prolixe ostendetur. Hoc pariter ob rationem Musicam factum esse existimo. Omnes enim illas voces conjunctim unoque tono pronuntiandas & cantandas esse Auctor accentuum docuit. Si vero distinctionum hactenus ab aliis traditarum rationem habuisset, vel plura signa accentuum invenienda, vel inventa repetenda fuisse quivis facile cognoscit.

§. XII.

Origo accentuum tam feliciter non rete-

retegetur, quam literarum græcarum & latinarum, quæ ex Samaritanis, uti notum, ortæ sunt. Si quis tamen antiquorum Græcorum notas Musicas cum nostris accentibus contulerit, aliqualem convenientiam utrorumque observabit. Collegit Marcus Meibom. Græcorum Musicos septem, eosque notis explicuit. Ex his constabit, quod Græcorum notæ Musicæ ex Græcarum literarum characteribus sint derivatæ. Videatur Boëthii L. IV. cap. III. Alypii Introductioni Musicæ præmissum, *Græcis literis*, inquientis, *in quamlibet partem imminutis, nunc etiam inflexis, tota hæc notarum descriptio constituta est &c.* Sed harum literarum figuræ quam proxime ad Hebræorum accentus accedunt. Alypii sane jota ι p. 45. convenit cum Silluko. Pi supra habens acutum π p. 4. simile erit Atnacho. Sigma σ exhibebit Tiphcham. < Lamda jacens p. 7. simile est Hebræorum Jethib *jacenti* Gravis ` ibid. respondebit Hebræorum Paschtæ. Xi duplex jacens p. 54. concordabit cum Schalschelet, si modo erigatur. Facili negotio plurium accentuum conformitas ostendi posset, sed ma-

lo ad Kircheri Musurgiæ L. II. cap. VII. p. 72. seqq. & ad Cl. Schmidii de Cantoribus Ecclesiæ Vet. & Nov. Test. dissertationem provocare, qui p. 42. seq. varios quoque notarum antiquarum characteres adduxit, quas si quispiam cum accentibus nostris contulerit, etiam ‗ & ‗ &c. characteres cognoscet. Utrum vero Græci ab Hebræis, an vero hi ab illis eos mutuati sint, in tanta obscuritate nemo facile dixerit. Quæ si ita sint, ex accentuum figura probabiliter confici potest, quod accentuum Hebræorum primum officium sit vocum cantus & modulatio.

§. XIII.

Quamvis vero accentibus usum Musicum tribuam, nolim tamen, ut accentus cum nostris notis Musicis comparentur. Hæ enim singularum syllabarum tonum exprimunt, accentus vero tantum docent, quæ voces conjunctim, & quæ divisim pronunciandæ vel cantandæ sunt. Multo convenientius accentus distinctivi cum Oratorum distinctionibus, viva voce expressis, componuntur. Uti enim Oratores periodum in aliquot membra dividunt, quæ distin-

stincte pronunciant; sic & accentuum Auctor quemvis versum in quædam membra divisit, & quæ verba cum pausa quadam ptonuntianda sint, indicavit, quod infra evidentius ostendetur. Inde etiam est, quod non tam accentuum tonum Musicum, quam eorum distinctiones ab interprete observandas esse existimem. Maxime quod notum sit Judæos Germanos & Polonos alia modulatione accentus cantare, quam Lusitanos, ideoque genuinam accentuum modulationem hodie non sine ratione pro deperdita haberi. Ex quo etiam sequitur, quod, si duo in una voce accentus concurrant, præcipuus tantum & ordinarius ab interprete attendendus sit, quia alter modulationi, hodie incertæ, inseruit.

§. XIV.

Sed posito accentuum modulationes interpreti parum prodesse, accentus tamen ex intentione Auctoris & antiquorum Judæorum usu explicandos esse existimo: Si enim illi cantus & distinctæ lectionis gratia Codici sacro sunt appositi, sequitur quod etiam ex hoc scopo explicandi

candi sint. Omnes itaque Distinctivi accentus semper & ubique lectionem distinguunt, & Conjunctivi semper & ubique voces in lectione conjungunt. Si Distinctivus voces sensu connexas distinguat, non habendus est pro Conjunctivi vicario, sed cogitandum, quod Auctor accentuum vocem multarum syllabarum, vel emphaticam tantum distinctius cum modulatione quadam legerit, prout orator voces quasdam longiores & emphaticas distinctius pronuntiat. Si Conjunctivus conjungat vocem cum sequenti non connexam, sciendum, quod Auctor accentuum voces breviores cantu suo conjunxerit, quod & viva pronuntiatione facere assolent oratores.

§. XV.

Non diffiteor plerosque accentuum interpretes docuisse, Hebræos duas tantum voces conjunxisse, & si tres vel plures servi concurrant, semper alterum eorum Distinctivi locum occupasse; Hinc tanta vicariorum multitudo orta est, quam neque doctores sufficienter explicare, neque discentes mente comprehendere

 po-

potuerunt. Interea optimas celeberrimorum interpretum explicationes, quas suæ hypothesi non favere sentiunt, corrigere & rejicere ausi sunt, quandoque perversas & noxias plane sententias scriptoribus sacris tribuentes. Qui vero genuinum accentuum officium consideraverit, facile percipiet, quod Auctor Accentuum de illa hypothesi ne per somnium quidem cogitaverit. Regulas etiam, quæ accentuationem a priori, ut loquuntur, docerent, invenire, multum alii laborarunt, & de dictamine Grammatico & Logico, quæ vocum connexiones & distinctiones indicarent, multa præfati sunt, sed utrum eorum Regulæ intentioni Auctoris & antiquorum Judæorum respondeant, alii judicent. Tot enim subjecerunt exceptiones, quæ Regularum universalem veritatem mox debilitant & infringunt. Planiori via incedimus, si dicamus, quod Auctor accentuum voces distinxerit, quas sensu salvo distinguere potuit, & quandoque duas, quandoque tres & plures conjunxerit, quas sensu salvo conjunctim pronuntiare potuit. Neutiquam tamen dubito, quin omnes versus biblici,

ci, datis iis, quæ ab Auctoris arbitrio pendent, accurate, iisdem accentibus ſignari poſſint, qui in codice punctato apparent.

§. XVI.

Hæc implicata accentuum doctrina interea multos non tantum deterruit, ſed ut ab aliis variis modis impugnaretur, & eorum uſus diſtinctivus plane negaretur, anſam præbuit. Nolo jam argumenta, quibus accentuum antiquitas probatur, colligere, quod hoc ab aliis prolixe factum eſſe, cognoverim. Sed ex iis tantum, qui Capelli veſtigiis inſiſtunt, & accentuum figuras pro Rabbinorum recentiorum invento habent, quæram, utrum interpres ingenuus accentus, qui in perſpicuis verſibus verum ſenſum accurate oſtendunt, in difficilioribus jure negligat? Poſito accentuum figuras eſſe a recentioribus Judæis additas, unde vero accentuum contemtor probabit, quod hodiernæ accentuum figuræ antiquiſſimorum Judæorum diſtinctiones olim in cantu obſervatas non referant? Eſra ſane poſt captivitatem Babylonicam Codicem hebræum

Judæis uſitato cantu prælegit, & interpretatus eſt. Ejus diſcipuli veram & diſtinctam lectionem & cantum didicerunt, & una cum vero ſenſu in poſteros propagarunt. Hinc in dubia loci explicatione ad accentus provocarunt. Et hanc diſtinctam lectionem in noſtris codicibus figuris expreſſam a Judæis accepimus, omnesque Judæi orientales, Poloni, Germani, Itali, Hiſpani, Galli &c. hodiernas accentuum figuras receperunt. Quis ergo accentus, antiquiſſimum illum Scripturæ interpretem non conſulat, eumque, ſi ſenſum genio linguæ, contextui & locis parallelis congruum doceat, non ſequatur?

CAP. II.

DE ACCENTUUM FIGURIS IN LIBRIS PROSAICIS.

§. I.

ACcentus Diſtinctivi proſaici ſunt ſigna, diſtinctam & euphonicam lectio

ctionem versuum Prosaicorum docentia, ut lectio jucunda sit, sensusque a Scriptore S. intentus menti lectoris & auditoris evidenter innotescat.

§. II.

Accentus Distinctivi in libris prosaicis sunt

Silluk cum Soph Pasuk, qui versum claudit.

Athnach, qui maximam in versu distinctionem utplurimum occupat.

Segolta, qui versus in tria membra divisi primum claudit.

Sakephkaton & *Sakeph Gadol* qui membrum & subdistinguunt.

Tiphcha, qui proxime ante & minus distinguit.

Rbbia, ejusque vicarius *Psik Schalschelet*, qui membra , & subdistinguunt. Distinguendus est a puncto cholem, quod principio literæ apponitur, Rbbia vero imponitur medio literæ, punctumque ejus est crassius puncto cholem.

Sarka, qui membrum subdistinguit.

Paschta, ejusque vicarius *Jethib*, qui membrum & subdistinguunt.

Thebbir, qui membrum subdistinguit.

 Paser

Paser & Vicar. } Qui membrum , & subdistinguunt. *Karne Para*, Quandoque Karne Para h. m. vel scripta reperitur. Vid. Reuchlin. de Accent. fol. 74. a.

Tblischa Gedola, qui membra , , , subdistinguit.

Geresch & } qui membra , , *Gereschaim* , subdistinguunt.

Psik apponitur Distinctivo Schalschelet, & Conjunctivis variis, vocemque, illo notatam, in lectione paulisper distinguendam esse indicat. Masoretæ omnes Psikim numerarunt, & in Gen. XXIX. & Exod. XIV. &c. annotarunt.

§. III.

Accentus Conjunctivi, sive Servi, sunt signa, Accentibus Distinctivis præmissa, quæ indicant, quod syllabæ, vel voces præcedentes cum Distinctivo sequenti conjunctim legendæ, & sensu connexo vertendæ sint, ut lectio gratior & sensus evidentior fiat.

§. IV.

Conjunctivi sunt

Munach servit , , , , , , , quandoque . Est ser-

servus frequentissimus, & aliquando bis, ter, & pluries repetitur.

Merca servit Paschtæ & quandoque.

Mahpach servit Paschtæ, non confundendus est cum Jethibh, de quo infra.

Darga servit &

Kadma, qui nunquam primæ vocis literæ, tono affectæ, sed semper secundæ, tertiæ & reliquis imponitur. Distinguendus est a Paschta, qui semper ultimæ vocis literæ imponitur. Si Kadma cum tono in ultimam literam vocis incidit, discernitur a Paschta ex consecutione reliquorum accentuum.

Tblischa Ketanna, hic Kadmam antecedit, non confundendus est cum Thlischa Gedola.

Jerach in libris Prosaicis reperitur in XVII. locis, servitque, non confundendus est cum Athnacho.

§. V.

Plerique Accentus apponuntur vocali tono affectæ, & quidem superiores imponuntur medio literæ, cui vocalis tono affecta subjecta est; & inferiores ponuntur post vocalem tono affectam.

֒ *Segolta*, ֮ *Sarka*, ֙ *Paschta*, & ֩ *Tblischa Ketanna* semper ultimæ literæ imponuntur, & quandoque in vocibus penacutis geminantur. ֙ *Paschta* fere semper geminatur, reliqui quandoque. ֙ Paschta imponitur etiam literæ tono affectæ, quando ejus vox per Makkeph cum sequenti ֔ Sakephi voce conjungitur. Conf. infra cap. VI. §. 4.

֠ *Tblischa Gedola* semper primæ vocis literæ imponitur.

֚ *Jethib*, Vicarius ֙ *Paschta* præponitur primæ vocali tono affectæ, eoque differt a ֤ Mahpacho, qui post vocalem tono affectam ponitur.

§. VI.

Quia infra vocum *breviorum* vel *laborantium*, & *longiorum* vel *non laborantium* mentio fit, sciendum est, quod voces *laborantes* sint voces breviores, quæ syllabarum quantitate laborant, quales sunt, quæ tono vel nullam, vel unam tantum syllabam præmittunt. v.g. אִישׁ *Vir* שָׁמַרְתִּי *custodivi*. Huc pertinent etiam voces r) quæ ..., ... & ... punctum nempe primarium Scheva concisi vocali tono affectæ

præ-

præmittunt. v. g. יַעַמְדוּ *stabunt.* 2) Quæ ו pro וּ & cum una vocali tono præmittunt. v. g. וּמוֹשָׁב & *consessus.* Quas omnes Auctor accentuum pro dissyllabis habuit, & *Jamdú*, *Vmoschâb* legit.

§. VII.

Voces *longiores* vel *non laborantes* sunt, quæ tono duas, pluresque syllabas, vel unam syllabam cum sequenti Schva mobili præmittunt v. g. כּוֹכָבִים *stellæ* לָמְדָה *didicit* נִכְסְפָה *desiderio capta est.*

§. VIII.

Observandum etiam est, quod in omnibus hodiernis accentuum libellis accentus inverso ordine numerentur, & primus in versu accentus sit ֽ Silluk, secundus ֖ Tiphcha &c. Ego vero in recensione accentuum ordinem lectionis sequor, primusque maximus distinctivus est ׃, secundus ֑ Athnach, tertius ֽ Silluk. Sic quoque in aliis accentibus. *Præcedere* ergo accentus dicitur, qui in lectione præcedit, & *sequi*, qui in lectione sequitur. Hunc ordinem lectionis natura, scopusque meus postulat. Doceo enim

quo modo versus hebraicus distincte legendus & explicandus sit.

CAP. III.

DE VERSU PROSAICO, EJUSQVE DIVISIONE IN MEMBRA MAJORA.

§. I.

VErsus Prosaicus quandoque plures, quandoque paucas continet voces. Minima versus quantitas est duarum vocum in Decalogo & Num. XXVI, 11. ubi tamen singulis duabus aliæ duæ per Makkeph annexæ sunt. Quatuordecim versus tribus vocibus absolvuntur, & a Masora M. ad *Exod. XXIIX*, 13. numerantur. Maxima versus quantitas est quadraginta vocum, cujus quinque exempla adducuntur a Masora v. g. *Jer. XXXIIX*, 4. *Dan. III*, 15. *c. V*, 23. *c. VI*, 13. *Esth. III*, 12. Quemadmodum Oratorum periodi non æquales, sed quædam longiores, quædam breviores sunt; sic & versus prosaici non ejusdem quan-

quantitatis sunt. Uterque vero variata periodorum & versuum pronuntiatione auditoribus & lectoribus gratior esse voluit.

§. II.

Porro uti Orator periodum longiorem in membra dividit, quo ea distinctius pronuntiet, breviorem vero unico membro includit; Sic & Auctor Accentuum quosdam versus in tria, quosdam in duo membra majora divisit, alios unico membro inclusit.

§. III.

Quosdam versus longiores Auctor accentuum in tria membra majora divisit, & triplici pausa elocutus est, primumque membrum ‗‗ *Segolta*, secundum ‾‾ *Athnacho*, tertium ‾‾ *Silluko* finivit. In interpretatione observandum est, quod talis versus, quandoque unam, quandoque duas, quandoque tres aut plures propositiones exhibeat, & membrum ‾‾ Athnachi quandoque cum membro ‗‗ Segoltæ, quandoque cum membro ‾‾ Silluki arctius cohæreat, v. g.

Gen.

Gen. XIV, 17.

וַיֵּצֵא מֶלֶךְ־סְדֹם לִקְרָאתוֹ אַחֲרֵי שׁוּבוֹ
מֵהַכּוֹת אֶת־כְּדָרְלָעֹמֶר וְאֶת־הַמְּלָכִים
אֲשֶׁר אִתּוֹ אֶל־עֵמֶק שָׁוֵה הוּא עֵמֶק
הַמֶּלֶךְ׃

Exibat Rex Sodomæ ipsi in occursum ∴ *postquam reversus erat a percussione Kedorlaomeris, regumque qui cum ipso* ‸ *, ad vallem Schave, quæ est vallis Regis* :

Hic versus exhibet unam propositionem membrumque ‸ *Athnachi* arctius cum membro ∴ *Segolta* cohæret.

Gen. VIII, 21.

וַיָּרַח יְהוָה אֶת־רֵיחַ הַנִּיחֹחַ וַיֹּאמֶר יְהוָה
אֶל־לִבּוֹ לֹא אֹסִף לְקַלֵּל עוֹד אֶת־
הָאֲדָמָה בַּעֲבוּר הָאָדָם כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם
רַע מִנְּעֻרָיו וְלֹא־אֹסִף עוֹד לְהַכּוֹת
אֶת־כָּל־חַי כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי׃

Et odoratus est Deus odorem complacentiæ ∴ *Et dixit Dominus ad cor suum, non iterum maledicam terræ propter hominem, quoniam figmentum cordis humani est malum a pueritia* ‸. *Non iterum percutiam omne vivens, quemadmodum feci* :

Hic

Hic verſus continet plures propoſitiones, & membrum ֑ *Athnachi* arctius cohæret cum ֽ *Silluko.*

§. IV.

Quosdam verſus ſive longiores ſive breviores ſint, Auctor Accentuum in duo membra majora diviſit, & duplici pauſa pronuntiavit, primumque ֑ *Athnacho*, alterum ֽ *Silluko* finivit. In interpretatione hic obſervandum, quod talis verſus quandoque partem propoſitionis, quandoque integram propoſitionem, quandoque etiam duas pluresque propoſitiones complectatur. v. g.

Gen. XIV, 8. 9.

וַיֵּצֵא מֶלֶךְ־סְדֹם וּמֶלֶךְ עֲמֹרָה וּמֶלֶךְ
אַדְמָה וּמֶלֶךְ צְבֹיִים וּמֶלֶךְ בֶּלַע הִוא־צֹעַר
וַיַּעַרְכוּ אִתָּם מִלְחָמָה בְּעֵמֶק הַשִּׂדִּים׃
אֵת כְּדָרְלָעֹמֶר מֶלֶךְ עֵילָם וְתִדְעָל מֶלֶךְ
גּוֹיִם וְאַמְרָפֶל מֶלֶךְ שִׁנְעָר וְאַרְיוֹךְ מֶלֶךְ
אֶלָּסָר אַרְבָּעָה מְלָכִים אֶת־הַחֲמִשָּׁה׃

Tum exivit Rex Sodomæ, & Rex Gomorræ, & Rex Admæ, & Rex Zeboim, & Rex

Rex Bela, hæc est Zoar ‸ , *& disposuerunt cum iis prælium in valle Siddim* :
Cum Kedarlaomero Rege Elam, & Thidal Rege Goim, & Amraphele Rege Schinear, & Arjoch Rege Ellasar ‸ *quatuor Reges cum quinque* :

Uterque versus ‸ Athnacho est distinctus, sed non nisi conjuncti unam integram propositionem exhibent. conf. Gen. XXIII, 8. 9. & v, 17. 18. Dan. I, 3. 4. Gen. X, 13. 14. Jos. XXXI, 21. 22. Deut. V, 4. 5.

Versus unius propositionis ubique invenies conf. Gen. I, 6.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי רָקִיעַ בְּתוֹךְ הַמָּיִם
וִיהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם׃

Et dicebat Deus, fiat firmamentum in medio aquarum ‸ *quod dividat inter aquas & aquas* :

Versus duarum & plurium propositionum etiam frequentes sunt.

Gen. I, 5.

וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר יוֹם וְלַחֹשֶׁךְ קָרָא
לָיְלָה וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד׃

Et appellabat Deus lucem, diem, & tenebras

nebras appellabat noctem ‾‸‾ *& erat vespera & mane unus dies.*

Sic Cap. XIV, 4. & 7. cap. XI, 27.

§. V.

Versum tam longiorem, quam breviorem Auctor Accentuum quandoque unico membro conclusit, adeoque unica pausa pronuntiavit, & ‾ı‾ Silluko finivit. Talis versus vel partem propositionis, vel integram propositionem exhibet, & quandoque paucis, duabus, tribus, quatuor &c. quandoque pluribus, viginti & aliquot vocibus absolvitur v. g.

Gen. XXV, 14. 15. 16.

וּמִשְׁמָע וְדוּמָה וּמַשָּׂא׃
חֲדַר וְתֵימָא יְטוּר נָפִישׁ וָקֵדְמָה׃
אֵלֶּה הֵם בְּנֵי יִשְׁמָעֵאל וגו׳

Et Mischma, & Dumah & Massa :‾ı‾
Cadar & Thema, Jetur, Naphisch & Kedma ‾ı‾:
Illi sunt filii Ismaelis &c,

Versus 14. & 15. tantum partem propositionis complectuntur.

Versum integræ propositionis & 23. vocum habes 1. Chron. XXVIII, 1. Esr. VI, 9.

§. VI.

§. VI.

Uti ‾‸‾ Athnachi membrum quandoque cum Segoltæ ∴ ,quandoque cum ‾ı‾ Silluki membro arctius cohæret; Sic etiam Silluki membrum intimiorem quandoque habet nexum cum sequentis versiculi membro, quam cum illo antecedentis ‾‸‾ Atnachi. v. g.

Ruth. I, 12. 13.

v. 12. *Revertimini filiæ meæ | Ite || quia senior sum | quam ut sim marito* ‾‸‾ *Si dicam | est mihi spes (prolis) || imo si essem hac nocte | viro ||| si etiam parerem filios* :‾ı‾

v. 13. *Num illos expectaretis | usque dum adolescerent || an eorum causa moraremini, ut non essetis viro* ‾‸‾ *&c.*

Conf. Num. XXII, 11. 12. 1. Reg. XI, 1. 2. Levit. XI, 21. 22. Gen. XXIII, 10. 11. cap. XXII, 20. 21. Jos. I, 14. 15. Cap. IV, 21. 22. Gen. I, 17. 18. Cap. XVII, 1. 2. Cap. XXIV, 47. 48. &c.

Sic quoque Gen. XIV, 18. *Et Melchi Sedek | Rex Salem || apportabat panem & vinum* ‾‸‾ *Et ille erat | sacerdos Dei altissimi* :‾ı‾ *Et benedicebat | & dicebat* ‾‸‾ *benedi-*

nedictus sit Abraham DEO altissimo &c. Ideo enim benedixit, quia sacerdos Dei altissimi erat.

§. VII.

Interpres itaque textum hebræum in latinam, vel aliam linguam translaturus, quandoque duos pluresque versus in unam periodum conjungere, & vice versa unum versum in plures periodos distinguere debet, prout contextus & argumentum versus requirit. Sed non permissum est, unam vel plures voces ex sequenti versu abripere, & antecedenti adjicere. Nostræ enim versuum distinctiones non sine tatione Esræ tribuuntur. Eas enim Talmudistarum tempore receptas fuisse patet ex eo, quod verba cap. XXXIV. Deuteron. quæ incipiunt a וימת שם משה *& mortuus ibi est Moses*, & desinunt in כל ישראל *omnis Israel*, Talmudistarum ætate eodem modo in octo versus fuerint distincta, in quot hodie divisa sunt. Adducam locum ex Talm. Babyl. Menachos Cap. III. fol. 30. col. a.

אמר רב שמונ' פסוקים שבתורה יחיד קור' אותן ב"בה כמאן ולא כרבי שמען דתניא

וימת שם משה עבד יי' אפשר משה חי
וכתב וימת שם משה אלא עד כאן
כתב משה מכאן ואילך כתב יהושע בן נון:

Dixit Rab, octo versus legis privatus legere potest in Synagoga, quod non convenit cum sententia R. Simeonis, qui docuit ad verba: Et mortuus est ibi Moses, servus Domini, *quod fortasse Moses vivus fuerit, cum scriberet hac verba,* & mortuus est Moses. *Sed usque ad hac verba scripsit Moses, reliqua sequentia scripsit Josua filius Nun.* Hos versus autem Talmudistæ ipsi non distinxerunt, sed hunc laborem Esræ, ejusque sociis tribuerunt, uti supra ex Megilla Hieros. monstratum est. Inde etiam factum esse existimo, quod Hieron. versuum cola, de quibus in præfat. Paralip. loquitur, plerumque cum nostris versuum Pasucis conveniant. Quod ex collatione Paralipomenon cum codice hebræo apparebit, atque *Richard. Simon. Crit. V. T.* L. 1. cap. XVIII. p. m. 155. aperte confitetur. Fortasse Hieron. in codice suo versus vel signis vel spatiis vacuis, quæ & hodie in antiquis codicibus observantur, distinctos invenit, vel eosdem a præceptore suo Judæo didicit, quos in

in translatione per κῶλα expressit, quosque Benedictini in nova editione nuper ex antiquis codicibus restituerunt. Ex quibus colligitur, nostras hodiernas versuum distinctiones non a Masoretis, sed ab Esra suam trahere originem.

§. IIX.

*N*ulla itaque firma ratione interpretes, qui versuum distinctiones negligunt, nituntur, si dicunt, sensus evidentiam quandoque alium versus finem postulare. Facile enim iis satisfiet, si ostendatur, quod recepta versuum distinctio, optimum sensum suppeditet. v. g. Symmachus Jes. LIX, 12. 13. vocem ידענום ex duodecimo versu avellit, eamque decimo tertio annectit, vertens: *ἔγνωμεν ἀδικεῖν καὶ ψεύδεσθαι κατὰ κυρίου, novimus injuste nos agere, & mentiri adversus Dominum*, conf. *Capell.* Crit. S. L. V. cap. IV. p. 342. Sed vereor, ne ab omnibus Interpretibus hæc Symmachi versio rejiciatur. Vocem enim ידענום, *cognovimus ea*, nempe peccata, mutat in ידענו, omisso suffixo, quod tamen legit Chaldæus *Jonathan* ידענא להון *cognovimus illa*. Sensum si consideres, ille,

qui ab Auctore accentuum intenditur, multo aptior est, quam alter Symmachi. Propheta nomine populi peccata confitetur v. 11. *nam multiplicatæ sunt*, inquit, *prævaricationes nostræ coram Te, peccata nostra respondent contra nos, nam iniquitates nostræ apud nos sunt, & delicta nostra cognovimus* v. 12. *prævaricamur & mentimur contra Dominum, recedimus a Deo nostro, loquimur calumniam & defectionem, concipimus & excogitamus ex corde res falsas.* Si enim Infinitivum in Præteritum, vel Præsens vertas, quod alias Idiotismus requirit, sensum habes commodissimum, & accentuum distinctionibus confirmatum, quem LXX. & Chaldæus expresserunt. Symmachus e contrario idiotismi hujus ignarus vertit: *Scimus prævaricari mentiri contra Dominum &c.* Si vero hoc intendisset Propheta, antecedentia v. 12. verba potius ita ordinasset. *Nam peccata nostra & iniquitates nostræ apud nos sunt.* Sed Prophetæ verba hoc ordine sequuntur: *Nam peccata nostra apud nos sunt, & iniquitates nostras*, quorum sensus est mancus, nisi ultimam vocem addas, *cognovimus.*

CAP. IV.

DE MEMBRORUM MAJORUM DISTINCTA LECTIONE ET INTERPRETATIONE.

§. I.

ORatores membra periodi majora distincte pronuntiaturi, ea in varia minora subdividunt, & pausis quibusdam minoribus distinguunt, quo auditores singulas periodi partes distincte percipiant. Idem Auctor accentuum suis subdistinctivis accentibus intendit, majora enim versiculi membra in minora distinxit, & accentibus signavit. Ut itaque minores membrorum majorum distinctiones & pausas cognoscamus, omnes cujusvis membri majoris subdistinctivos considerabimus. Quia vero quædam minorum membrorum sensum completiorem, quædam minus completum sistunt, illa pluribus lineolis, hæc paucioribus, in ta-

 bulis

bulis & versionibus exprimam. Si vero alicubi Psik occurrat, eum lineola minori in versione indicabo.

§. II.

— Segoltæ membrum toties in pronuntiatione subdistinguendum est, quoties unus horum Subdistinctivorum accentuum vel — Rbhia, vel — Paschta, vel — Sarka in illo reperitur.

Ex multorum locorum collatione hic observatum est, quod primus — vel — vel — fere semper completiorem sensum sistat, quam secundus, & secundus completiorem, quam tertius, & sic porro.

Ultimus denique Subdistinctivus — Sarka, quem — Segolta sibi semper præmittit, sensum minus, quam omnes antecedentes distinguit. Ut itaque tam Accentuum Subdistinctivorum consecutionem, quam eorum distinguendi vim, & proportionem perspicue cognoscamus, sequentem tabellam subjiciam.

Ex. XII, 29.

וַיְהִי ׀ בַּחֲצִי הַלַּיְלָה וַיהוָה הִכָּה כָל־
בְּכוֹר בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם

Factum itaque est | in media nocte || ut Dominus || percuteret omnem primogenitum | in terra Ægypti ___

1. Reg. XII, 10.

וַיְדַבְּרוּ אֵלָיו הַיְלָדִים אֲשֶׁר גָּדְלוּ אִתּוֹ
לֵאמֹר

Et loquebantur ad eum ||| juvenes || qui adoleverunt cum ipso | dicendo.

• Conf. 1. Sam. XIV, 45. 1. Reg. XVIII, 21. Deut. XII, 18. Jos. XVIII, 14.

NB. 1.) Loco ___ Rbhia in hoc membro quandoque occurrit ___ Sakeph v. g. Job. I, 8. II. Paral. XIV, 7. Ex. XX, 2. Deut. V, 2.

NB. 2.) Pro primo ___ Rbhia quandoque ponitur ___ Sarka, licet ___ non præcedat. Weimarus p. 57. statuit, quod ___ Rbhia semper necessario præcedere debeat, sed refutatur ex

1. Sam. II, 15.

גַּם בְּטֶרֶם יַקְטִרוּן אֶת־הַחֵלֶב

 Etiam

Etiam || antequam | adolerent adipem

§. III.

Si ante ֒ Segoltam una vel duæ voces breviores uno vel duobus ֣ Munachis notatæ ſunt, eas auctor accentuum conjunctim pronuntiavit, ſenſuque connexas eſſe indicavit. Quando vero ֒ Segoltam vox longior antecedit, quæ ֮ Sarka notata, ea plerumque tantum diſtinctius legenda, & ſenſu connexo explicanda eſt.

Exod. XII, 29.

בְּאֶ֣רֶץ מִצְרַ֔יִם

In terra Ægypti.

Sic Ex. XI, 15. Jer. XXXIIX, 2.

Ruth, IV, 4.

וְנֶ֥גֶד זִקְנֵ֣י עַמִּ֔י

Et coram ſenioribus populi mei.

Sic Ex. XXIIX, 17. Deut. I, 23. II. Reg. I, 6. Gen. XXVI, 28.

Deut. IV, 19.

וְהִשְׁתַּחֲוִ֮יתָ֮ לָהֶ֣ם

Et reduces | ad cor tuum.

Conf. Gen. XLVIII, 16. Exod. XXXVI, 2. Num. XXI, 5. cap. XXIII, 7. Ex. XIV, 11.

§. IV.

Atnachi & Silluki membrum subdistinguitur Sakephkatone, Sakephgadole & Tiphcha.

De & observandum, quod, si aliquoties in hoc membro repetantur, primus completiorem sensum sistat, quam secundus, & secundus completiorem quam sequens tertius, & sic porro.

Ultimus subdistinctivus Tiphcha, quem & Silluk sibi semper præmittunt, minus distinguit, quam omnes antecedentes Sakephi.

NB. Sakeph katon & Sakeph gadol eodem valore distinguunt, in eo tantum differunt, quod Sakeph gadol ponatur, quando neque Paschta neque Munach vel in eadem, vel præcedenti voce, præcedat. Tabula hujus membri.

Gen. XII, 7.

וַיֵּרָא יְהוָה אֶל־אַבְרָם וַיֹּאמֶר לְזַרְעֲךָ
אֶתֵּן אֶת־הָאָרֶץ הַזֹּאת וַיִּבֶן שָׁם מִזְבֵּחַ
לַיהוָה הַנִּרְאֶה אֵלָיו׃

Et apparuit Dominus Abrahamo || & dixit ||| semini tuo || dabo | terram hanc ideo extruxit ibi altare | Domino | qui apparuit ipsi.

Sic Jes. I, 22. II, 12. 13. 14. Gen. IX, 7. c. IV, 11. VIII, 22. Jes. X, 25. Jes. VIII, 3.

§. V.

Vox penultima in membro Sillluki Merca, & in membro Atnachi Munacho notata, conjunctim pronuntianda & vertenda est.

Penultima vox longior, in membro Silluki & Atnachi, Tiphcha notata, quandoque tantum distincte legenda & sensu connexo explicanda est.

In membro Atnachi quandoque duæ voces breviores uno vel duobus Munachis notantur.

Gen. I, 2.

עַל־פְּנֵי הַמָּיִם׃

Super faciebus aquarum.

Ex. IX, 4.

וּבֵין מִקְנֵה מִצְרָיִם

Et inter | pecus Ægyptiorum

Ex. III, 4.

כִּי סָר לִרְאוֹת׃

Quod secederet ad videndum

Sic Num. XXII, 36. 1. Sam. XIV, 39. Ef. XL, 16. Deut. XXXI, 23.

Gen. XXI, 24.

אָנֹכִי אִשָּׁבֵעַ׃

Ego | jurabo

Sic. Gen. XIII, 2. XIV, 16. Jer. XXXII, 19.

§. VI.

In membris Atnachi & Silluki, quandoque penultima vox Tiphcha notata, cum ultima arctius cohæret, quam cum antecedenti servo Merca. Uti enim oratores quandoque ultimas periodi voces tardius eloquuntur, sic & Auctor Accentuum voces duas in membris

bris majoribus ultimas distinctius & tardius cantavit, quamvis sensu non distinguuntur v.g.

Gen. V, 4. 7. 10. &c.

וַיּוֹלֶד־בָּנִים וּבָנוֹת׃

Et generabat filios | & filias.

Quidam ut usum distinctivum accentuum salvum conservent, vocem ויולד repetunt, & vertunt: *& genuit filios, & genuit filias.* Si vero observassent, quod Auctor accentuum Oratores imitaretur, ad vocum repetitionem non confugissent.

Sic. Es. XL, 13.

מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יְהוָה

Quis direxit Spiritum | Domini?

Multi exponunt, quis direxit Spiritum? Dominus; sed contra contextum.

Sic Kohel. V, 8.

מֶלֶךְ לְשָׂדֶה נֶעֱבָד׃

Rex (ille est) super agrum | cultum.

Sed multi vertunt: *Rex agri colitur;* quasi sensus esset: Rex, qui agrum colit, ho-

honoratur. Sed contra contextum, qui de Dei providentia agit. conf. v. 7. ubi hæc occurrunt: *Si oppressionem pauperis & rapinam contra judicium & justitiam videas, ne mireris talem licentiam: nam excelsus ex excelso (cœlo) observat, cœli enim sunt super illos (impios) v. 8. & quod attinet optimos fructus terræ, in omnibus illis est ille (Deus) estque rex super agrum cultum*, (in quo rapinæ committuntur) Male ergo Weimar. Loc. XVI, p. 98. seq. vertit: *Ast emolumentum terræ in omnibus est; rex agri colitur.*

Conf. Num. V, 29. *hæc est lex* Zelorum cap. VI, 13. Ef. II, 12. *quia Dominus locutus est* Jos. XIIX, 11. *Et inter filios Joseph* Gen. XXX, 10. Jes. IX, 12. cap. XIII, 16. Habac. II, 4. & *justus fide sua vivet* collato Rom. I, 17.

§. VII.

Interpres itaque versum in aliam linguam translaturus, omnes voces ad membrum Segoltæ, Atnachi & Silluki pertinentes in lectione conjungat, & sensu connexo vertat. Non enim licet ex uno membro antecedenti vocem unam

unam vel plures ad aliud ſequens membrum attrahere, nec ex ſequenti unam vel plures antecedenti addere, ſed quævis membra ex mente Auctoris accentuum ſeparatim ſunt legenda, & explicanda. Licet tamen quandoque ex præcedenti membro unam vel plures voces ſupplendi ſenſus gratia, in ſequenti repetere, uti ex interpretationis regulis notum eſt. v. g.

Gen. XLIX, 10.

לֹֽא־יָס֥וּר שֵׁ֙בֶט֙ מִֽיהוּדָ֔ה וּמְחֹקֵ֖ק מִבֵּ֣ין רַגְלָ֑יו עַ֚ד כִּֽי־יָבֹ֣א שִׁילֹ֔ה וְל֖וֹ יִקְּהַ֥ת עַמִּֽים׃

Non recedet ſceptrum] *ex Juda* || [*neque legislator* | *a pedibus ejus* ‸ *usque dum* | *veniat Schilo* || *& ad eum* | *erit congregatio populorum* :

Judæi quidam hoc dictum enervaturi, aſſumunt ex membro Silluki vocem עַד *usque dum, in perpetuum,* eamque antecedenti membro ‸ Atnachi annectunt, ut ſenſus ſit: *Non recedet ſceptrum a Juda, neque legislator a pedibus ejus* עַד *in æternum;* Sed nos ipſis accentum ‸ op-

‸ Atnach opponimus, qui per totum sacrum Codicem membrum separatum constituit, nec unquam cum sequenti voce sensum connexum edit. In Targum Onkelos, Bibl. Polyglott. Anglicanis annexo, novoque nuper Berolini excuso, eadem Judaica sententia legitur: *non auferetur gerens principatum a domo Juda, neque scriba a filiis filiorum ejus* עד עלמא *usque in secula*, עד דייתי *donec veniat Messias, cujus est regnum.* Sed voces עד עלמא Judæorum glossema esse videtur, citra necessitatem textui insertum. Inde etiam in Bibliis Regiis non legitur. Quod ex eo colligimus, quod vox hebræa עד bis versa sit, cum semel in textu extet. Jonathan quoque עד semel vertit: *Non cessabunt reges & principes ex domo Juda, neque scribæ ex doctoribus legis, ex semine ejus* עד זמן *usque ad tempus, quo veniet Rex Messias parvus filiorum ejus, & propter eum liquefiunt populi.*

§. VIII.

Has versiculi distinctiones, non novum Masoretarum inventum, sed antiquissimum legendi & intelligendi Scriptu-

pturam subsidium esse, vel ex eo eluce-
scit, quod Hieronymus sua ætate hæc membra versiculi ◌֒ Segolta, ◌֑ Atnacho & ◌ֽ Silluko notata in versione sua, plerumq; distinxerit. Hoc patebit ex collatione hebræi codicis cum Versione Hieron. a Benedictinis Parisiensibus nuper edita. Hi enim cum ex præfatione Hieron. cognoscerent, quod ille prophetas per cola descripserit atque commata, quorum quodvis versum vel lineam absolvisset; operam navarunt, ut versus illos ex antiquissimo, Corbeiensi codice, qui versuum cola in prophetis fere omnia subnexa habebat, restituerent. Videantur illi in notis præfationi subjectis Tom. I. p. 475. Speciminis loco duo tantum commata cum hebræis versibus conferam.

Jes. XXXIX, v. 2.

וישמח עליהם חזקיהו

Hieron. *Lætatus est autem super eis Ezechias*,

Jes. XXXVIII, 1.

בימים ההם חלה חזקיהו למות

Hier.

Hier. *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem :*

Plura exempla quavis pagina occurrunt. Neque de ׃ Silluko exemplum addam, quia cap. antecedenti ostensum, quod Hieron. in iisdem vocibus versum plerumque finiat, in quibus hodie ׃ conspicitur. Hæc quidem eum in finem non affero, quod Hieron. codice punctato instructum fuisse, probare suscipiam; In eo tamen non errabo, si dicam, quod vel Judæus, quem præceptorem habuit Hieron., distinctam versiculi lectionem eum docuerit, quam Judæi פיסוק טעמים distinctionem accentuum appellabant, suisque discipulis pro mercede inculcabant, de quibus loquuntur Talmudistæ in Nedar. Babyl. fol. 37. & Rabbini in Notis ad Maimon. Hilchoth Talmud Thora cap. I. fol. m. 17. Vel quod Hieronymus Codicem habuerit, variis spatiis distinctum, qualem Benedictini inter MSS. hebræa Regia prostare Prolegomeno IV. n. III. testantur.

CAP. V.

DE MINORUM ACCENTUUM DISTINCTA LECTIONE ET INTERPRETATIONE.

§. I.

MEmbrum Sakeph katonis tam in membro majori Atnachi, quam Silluki occurrens, toties in lectione subdistinguendum est, quoties unus Subdistinctivorum vel Rbhia, vel Paschta vel hujus vicarius Jethib in eo occurrit.

Primus tamen vel completiorem plerumque sensum exhibet, quam secundus, & secundus completiorem, quam tertius, & sic porro.


Ultimus tandem Subdistinctivus, qui plerumque est Paschta, minus quam omnes antecedentes pronuntiationem & sensum distinguit.

NB. 1.) Pro Rbhia in principio versus ponitur

nitur quandoque _:_ v. g. Esr. V, 15. Gen. XXXIX, 8. Gen. XXX, 16.

2.) Pro _:_ Paschta venit ‾˂ Jethib vicarius, si tonus vocis incidit in primam syllabam, nullaque vox servo conjungenda, vel Makkepho connexa præcedat. v. g. Num. X, 25. Gen. IIX, 21. Jud. IV, 9. Gen. XLVI, 22. Jes. XXIX, 13.

3.) In quibusdam Bibliis Jes. XLV, 1. in voce לְכוֹרֶשׁ reperitur _:_ Subdistinctus per _~_, sed vitiose, restituendus est _∴_, qui in Hooghtii Bibliis legitur, quamvis Masora, in Schaar Hanneginoth aliud tradat. Tabula hujus membri.



1. Reg. VIII, 64.

בַּיּוֹם הַהוּא קִדַּשׁ הַמֶּלֶךְ אֶת־תּוֹךְ הֶחָצֵר
אֲשֶׁר לִפְנֵי בֵית־יְהוָה כִּי־עָשָׂה שָׁם
אֶת־הָעֹלָה וְאֶת־הַמִּנְחָה

In die illo ||| *sanctificavit Rex medium atrii* || *quod* | *ante domum Domini* _:_ *nam fecit ibi* || *holocaustum* | *& mincham* _:_

Gen. I, 7.

וַיַּבְדֵּל בֵּין הַמַּיִם אֲשֶׁר מִתַּחַת לָרָקִיעַ

Et distinxit ||| *inter aquas* || *quæ* | *sub firmamento.*

NB. ֙ Paschta etiam repetitur licet ֗ Rbhia non præcedat, secus quam Weimarus putet p. 57. conf. Kohel. III, 19,

2. Sam. VI, 20.

וַתֵּצֵא מִיכַל בַּת־שָׁאוּל לִקְרַאת דָּוִד וַתֹּאמֶר מַה־נִּכְבַּד הַיּוֹם מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר נִגְלָה הַיּוֹם לְעֵינֵי אַמְהוֹת עֲבָדָיו

Exivit Michal filia Schaulis || *obviam Davidi* ׃ *ac dixit* |||| *quam honorabilis factus est hodie Rex Israelis* ||| *qui revelavit se hodie* || *in oculis* | *ancillarum servorum suorum* ׃

Gen. XXX, 16.

וַתֵּצֵא לֵאָה לִקְרָאתוֹ וַתֹּאמֶר אֵלַי תָּבוֹא כִּי שָׂכֹר שְׂכַרְתִּיךָ

Exivit Lea obviam ipsi || *dixitque* | *ad me intrabis* ׃ *quia* | *conducendo conduxi Te* ׃

Jud.

Jud. IV, 9.

וַתֹּאמֶר הָלֹךְ אֵלֵךְ עִמָּךְ אֶפֶס כִּי לֹא תִהְיֶה תִּפְאַרְתְּךָ עַל־הַדֶּרֶךְ אֲשֶׁר־אַתָּה הוֹלֵךְ

Dixit ergo eundo ibo tecum |||| *sed* ||| *sane non erit gloria tua* || *super via* | *qua tu ibis* :

Esth. VII, 8.

וְהָמָן נֹפֵל עַל־הַמִּטָּה אֲשֶׁר אֶסְתֵּר עָלֶיהָ

Et Haman ||| *cadebat* || *super lectum* | *super quo Esther erat* :

Quidam in voce נֹפֵל : ponunt, & nescio quos affectus, fingunt. Sed in Hooghtii Bibliis Rbhia · in margine est notatus, quem etiam Elias Levita in suo codice legit, uti apparet ex libro Tob Taam Cap. V, §. Themunat paschta.

Conf. Jes. VII, 22. cap. VIII, 19. c. X, 7. Deut. V, 22, c. VIII, 19. c. IX, 27. c. XI, 23. 16. &c.

§. II.

1. Penultima, & quandoque antepenultima vox Munacho notata, conjunctim pronuntiandæ & sensu connexo expli-

 pli-

plicandæ ſunt. Si vox penultima longior ֙ Paſchta, vel ejus vicario ֚ Jethibo eſt notata, diſtinctius quidem legenda, ſed ſenſu connexo vertenda eſt. v. g.

Gen. I, 7.

מִתַּ֣חַת לָֽרָקִ֔יעַ

Sub firmamento ֙

Joſ. VI, 17.

וְכָל־אֲשֶׁ֤ר אִתָּהּ֙ בַּבַּ֔יִת

Et omnis qui cum ea in domo.

Sic Jud. II, 20. Ezech. XVI, 23. Deut. I, 23. Ex. IV, 8.

Jeſ. , 2.

וַיִּטָּעֵ֙הוּ֙ שֹׂרֵ֔ק

Et plantavit eam | vita nobili ֙

Eſr. V, 15.

אֵ֚לֶּה מָֽאנַיָּ֔א

hæc | vaſa ֙

NB. In ֔ Sakephi membro, ſi tres vel plures voces contineantur, quandoque ֙ Paſchta penultimæ voci tantum tardioris pronuntiationis gratia imponitur, quæ ideo in verſione ab ultima

ultima non distinguenda sed potius sensu connectenda est. v. g. Gen. XXXI, 13. אָנֹכִי הָאֵל בֵּית־אֵל *Ego Deus* | *Bethelis.* Sed vertenda est: *Ego* | *Deus Bethelis.* Duæ enim ultimæ voces construuntur. Sic. Jes. XXXIV, 1. Jer. II, 31.

§. III.

Tiphchæ membrum, proxime ante Atnacham & Sillukum occurrens, toties in pronuntiatione subdistinguendum est, quoties Rbhia vel Paschta vel Thebhir in illo apparet.

Primus tamen Rbhia vel Paschta completiorem sensum sistit, quam secundus, & secundus completiorem quam tertius, & sic porro.


Ultimus tandem Subdistinctivus Tebhir, quem Tiphcha sibi semper præmittit, minus quam omnes antecedentes distinguit.

NB. 1. Paschta quandoque loco secundi vel tertii Rbhiæ ponitur Ex. XXXVI, 3.

2.) Loco ultimi Rbhiæ quandoque ponitur Thebhir, qui in ultima subdistinctione repetitur, sed tunc Rbhia semper præcede-

re debet. v. g. Deut. IV, 38. Gen. VIII, 17. Ex. III, 1. Num. XIV, 40.

3.) Pro ֣ Thebhir ponitur ֦ Merca duplicatus sequentibus in locis. Gen. XXXVII, 25. Exod. V, 15 Levit. X, 1. Num. XXXII, 42. Num. XIV, 3. 1. Reg. X, 3. II. Chron. IX, 2. I. Reg. XX, 29. Ezech. XIV, 4. 2. Chron. XX, 30. Zach. III, 2. Esr. VII, 25. Neh. III, ult. Hab. I, 3. Confer Masoram ad Gen. XXVII, 25. Hab. I, 3. & Neh. III, ult. ubi enumerantur. Sed mihi videtur Masoretas habuisse exemplar, in quo punctum in Thebhir culpa scribæ in lineolam degeneravit, ut hanc formam referret ֦ Masoretæ itaque citra necessitatem ֦ Mercam duplicatum finxerunt. Inde est, quod semper in locis allegatis præcedat ֧ Darga, quem alias ֧ sibi præmittit. Tabula hujus membri.



Jos. XIII, 30.

וַיְהִי גְבוּלָם מִמַּחֲנַיִם כָּל־הַבָּשָׁן כָּל־
מַמְלְכוּת ׀ עוֹג מֶלֶךְ־הַבָּשָׁן וְכָל־חַוֺּת
יָאִיר אֲשֶׁר בַּבָּשָׁן

Fait itaque terminus eorum ||| *a Machanaim tota terra Buschan, totum regnum* *Ochi*

Ochi Regis Baschanis || omnes villæ Jairis | quæ in Baschane

Ex. XXXVI, 3.

וַיִּקְחוּ מִלִּפְנֵי מֹשֶׁה אֵת כָּל־הַתְּרוּמָה
אֲשֶׁר הֵבִיאוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לִמְלֶאכֶת עֲבֹדַת
הַקֹּדֶשׁ

Acceperuntque a Mose |||| omnem Thrumam ||| quam adduxerunt filii Israelis || ad opus | ministerii sanctitatis

Deut. IV, 38.

לְהוֹרִישׁ גּוֹיִם גְּדֹלִים וַעֲצֻמִים מִמְּךָ

Ad expellendum ||| gentes || majores & numerosiores | quam tu

NB. Sic II. Reg. V, 13. super voce גדול rectius — quam — ponitur, illum enim sensus requirit, & Elias Levita Libro Tob Taam cap. V, §. Themunat Paschta in suo codice legit, uti a Masora annotatus est.

Conf. Gen. VI, 12. c. VIII, 9. c. IX, 11. Gen. VI, 3. c. VII, 19. Jer. XXIX, 14. Jos. XIII, 30. Ezech. XII, 18.

§. IV.

Penultima vox in membro — Thiphchæ

chæ ֥ Merca notata, conjunctim cum ultima legenda, & sensu connexo explicanda est.

Vox penultima longior ֛ Thebhir notata distinctius legenda, & frequenter sensu connexo explicanda est.

Num. XXII, 25.

אֶת־רֶ֥גֶל בִּלְעָ֖ם

pedem Bileami ֛.

Num. XXV, 15.

הַמֻּכָּ֥ה הַמִּדְיָנִ֖ית

Percussa | *Midianitis* ֛.

Sic Deut. VII, 20. Ex. VII, 27. c. XXXV, 1. Levit. IV, 4.

NB. ֛ Quandoque etiam in penultima ponitur, tardioris tantum pronuntiationis gratia, licet alia, servo notata præcedat, & tunc penultima vox sensu cum ultima cohæret. v. g.

Jes. XIV, 15.

אַ֛ךְ אֶל־שְׁא֥וֹל תּוּרָ֖ד

Certe ad infernum detruderis.

§. V.

֗ Rbhiæ membrum, quod in membro

bro majori ..., ... & ... occurrit, toties subdistinguendum est in lectione, quoties unus horum subdistinctivorum ... Paser, ... Tlischa Gedola, & ... Geresch conspicitur.

Sed primus ... Paser completiorem sensum sistit, quam secundus, & secundus completiorem quam tertius, & sic porro.

Penultimus subdistinctivus plerumque est ... quandoque ... Paser.

Ultimus vero semper est ... Geresch, minusque quam antecedens ... Tlischa Gedola distinguit.

NB. 1.) Pro ... Pasere quibusdam in locis ponitur ejus vicarius ... Karne para Jer. XIII, 13. Neh. V, 13. Esr. VI, 9. Esth. VII, 9. Num. XXXV, 5. II. Sam. IV, 2. II. Chron. XXIV, 5. Esth. VII, 9. Neh. XIII, 5. cap. V, 13.

2.) Pro ... venit ... quando tonus incidit in ultimam syllabam, & tunc ... Kadma neque in eadem, neque in antecedente voce reperitur Ex. XXXIIX. v. 5. & v. 23.

3.) Pro ... venit ... Geresch Kadma in voce longiori, quando tonum antecedunt tria vel plura puncta vocalia, quarum media est vocalis longa, cui ... Kadma Conjunctivus imponi possit. v. g.

Deut.

Deut. XXXIV, 11.


לְכָל־הָאוֹתוֹת

quoad omnia signa

Deut. VII, 13.

דְּגָנְךָ *frumentum tuum.*

Tabula hujus membri.



Jos. VIII, 33.

וְכָל־יִשְׂרָאֵל וּזְקֵנָיו וְשֹׁטְרִים ׀ וְשֹׁפְטָיו עֹמְדִים מִזֶּה ׀ וּמִזֶּה ׀ לָאָרוֹן נֶגֶד הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם נֹשְׂאֵי ׀ אֲרוֹן בְּרִית־יְהוָה

Et omnis Israel ||||| *& seniores ejus* |||| *& moderatores & judices ejus* ||| *fuerunt stantes hinc & illinc apud Arcam* || *e regione Sacerdotum Leviticorum* | *portantium Arcam fœderis Domini* —

Jos. XIX, 47.

וַיַּעֲלוּ בְנֵי־דָן וַיִּלָּחֲמוּ עִם־לֶשֶׁם וַיִּלְכְּדוּ אוֹתָהּ ׀ וַיַּכּוּ אוֹתָהּ לְפִי־חֶרֶב

Nam

Nam ascenderunt filii Dani || & pugnarunt cum Leschem | ceperuntque eam ac percusserunt eam acie gladii.

Conf. Ezech. XX, 16. 2. Reg. X, 30. Deut. IV, 19. Gen. VIII, 13. Jer. XXXIV. Ezech. XI, 6. Dan. IV, 14. Deut. II, 19. Jer. XXXV, 14. &c.

§. VI.

Voci Rbhia notatæ, quandoque una, duæ, tres aut qnatuor voces annectuntur per servos, quæ ideo conjunctim pronuntiandæ, & sensu connexo vertendæ sunt.

Si una est annectitur per

Si duæ, tres aut quatuor, conjunguntur per servos, quos in hac tabula conspicis.

	1	2	3	4

Ezech. XX, 16.

בְּמִשְׁפָּטַי מָאָסוּ

judicia mea reprobarunt

Ezech. XVIII, 19.

מִשְׁפָּט וּצְדָקָה עָשָׂה

Ju-

Judicium & justitiam fecit ∸
Conf. Gen. XIV, 15,

Exod. XXIX, 22.

וְאֶת־הַחֵלֶב ׀ הַֽמְכַסֶּה אֶת־הַקֶּרֶב

Et adipem tegentem intestina ∸
Sic Ex. XII, 29. Gen. III, 22.

Jes. V, 25.

וַיֵּט יָדוֹ עָלָיו וַיַּכֵּהוּ ׃

Et inclinavit manum suam super eum, atque percussit eum ∸

Num. IV, 14.

אֲשֶׁר יְשָׁרְתוּ עָלָיו בָּהֶם

quibus ministrant super eo ∸

Jos. XIX, 47.

וַיִּלְכְּדוּ אוֹתָהּ ׀ וַיַּכּוּ אוֹתָהּ לְפִי־חֶרֶב

Et ceperunt eam, & percusserunt eam acie gladii ∸

Sic Gen. VII, 23. Ezech. XXXIII, 11.

§. VII.

Si vox ∸ Rbhiæ est longior, & vox Servo notanda per Makkeph est annexa, Servus

Servus omittitur & præcedens vox Gereſchaim vel Gereſch Kadma notatur, quia longiores voces conjunctim legi non poſſunt.

Num. XIIX, 9.

לְכָל־מִנְחָתָ֞ם וּלְכָל־חַטָּאתָ֗ם

Quoad omnem mincham eorum | & quoad omne ſacrificium pro peccato eorum

Sic Gen. X, 14. Deut. XXV, 19. c. XXXIV, 11. Levit. XVIII, 17. c. XXVI, 30.

§. VIII.

Membrum quod in membro majori quod in membro & quod in membro occurrit, toties in lectione ſubdiſtinguitur, quoties unus ſubdiſtinctivorum Paſer, vel Tliſcha Gedola, vel Gereſch vel Karne para apparet.

Primus Paſer, vel Tliſcha Gedola, vel Gereſch completiorem ſenſum ſiſtit, quam ſecundus, & ſecundus completiorem quam tertius, & ſic porro.

Penultimus Subdiſtinctivus plerumque

que eſt _ᵒ_ Tliſcha Gedola Zach. XIV, 4. 17. quandoque _ᵘ_ Paſer 2. Chron. XX, 26. 1. Sam. I, 1. 2. Sam. XVIII, 5. Joſ. VI, 8. raro _ᶜ_ Gereſch Levit. XIII, 51. Joſ. XXI, 6. Joſ. IX, 5.

Ultimus ſubdiſtinctivus, qui minus, quam omnes antecedentes diſtinguit, plerumque eſt _ᶜ_ Gereſch 2. Chron. XX, 26. Zach. XIV, 4. 1. Chron. XXIIX, 1. raro _ᵒ_ Tliſcha Gedola Gen. VI, 22. c. XIX, 8. Joſ. VI, 8, Jeſ. IX, 5. Levit. XIII, 57. rariſſime _ᵘ_ Paſer Neh. I, 6. Gen. XXIV, 36. 1. Reg. XIX, 11.

NB. 1.) Pro _ᵘ_ Paſero venit quandoque _ᵒᵒ_ Karne para Neh. XIII, 15. 2. Reg. X, 5. Neh. I, 6.

NB. 2.) Pro _ᶜ_ venit _ᶜᶜ_ quando tonus incidit in ultimam ſyllabam, & _ʼ_ Kadma neque in eadem, nec antecedenti voce antecedit, v. g. Gen. VI. v. 5. cap. XLVII, 26. uti in §. de _·_ Rbhia dictum eſt.

Tabula hujus membri.

_∾_	_ᶜ_	_ᵒ_	_ᵘ_	_ᵘ_	&c.
_›_	_ᵒ_	_ᵇ_	_ᶜ_	_ᶜ_	
___	_ᵘ_	_ᶜᶜ_	_ᵒ_		
_,_	_ᵒᵒ_	_ᵒᵒ_	_ᵒᵒ_		

2. Chron.

2. Chron. XXVII, 5.

וְהוּא נִלְחַם עִם־מֶלֶךְ בְּנֵי־עַמּוֹן

Idem quoque || *pugnavit* | *cum Rege filiorum Ammonis*

Conf. 1. Sam. XXI, 12. 1. Chron. VI, 63. Jos. X, 24. Levit. V, 24. Dan. III, 27.

Ezech. XXXIX, 9.

וּבִעֲרוּ וְהִשִּׂיקוּ בְּנֶשֶׁק וּמָגֵן וְצִנָּה

Et incendent || *& comburent* | *arma & scutum & clypeum*

Conf. Gen. XXIIX, 12. Cap. XIV, 7. Deuter. XXVII, 12. Neh. IX, 15. Ezech. XXXIX, 9.

Jer. XXIV, 5.

אֲשֶׁר שִׁלַּחְתִּי מִן־הַמָּקוֹם הַזֶּה

Quam | *dimisi* | *ex loco hoc*

Conf. Jes. XIV, 4. Hag. I, 13. Gen. XVI, 19. Dan. V, 4. c. VI, 25. Jud. IV, 3. Jer. XLII, 5. II. Sam. III, 29.

§. IX.

Voci — Sarka notatæ quandoque una, duæ, tres, quatuor & plures voces, conjunctim pronuntiandæ, per servos annectuntur, quos in hac tabula conspicis.

1 2 3 4 5

NB. 1.) sumit in prima voce conjungenda plerumque Munachum, Mercam accipit in XI. locis a Masora ad Ex. VI, 6. notatis, & quando Psik apponitur. Gen. XXX, 16. 20.

2.) Sumit in secunda voce connectenda Kadmam, si vox illa tono punctum vocale præmittit. Si vero tonum habeat in prima syllaba accipit Munachum; Kadma enim nunquam in prima litera apparet.

Gen. XVI, 5.

וַתֹּאמֶר שָׂרַי אֶל־אַבְרָם

Tum dixit Sara ad Abramum.

Sic Jer. XLIX, 19. c. L, 44.

Levit. XI, 44.

כִּי אֲנִי יְהוָה

Quia ego Jehovah.

Sic Zach. II, 12. Ex. IV, 18.

3.) in tertia voce ponit Tiphcham Ketannam, quintæ ac reliquæ accipiunt

Ex.

Ex. XVII, 6.

הִנְנִי עֹמֵד לְפָנֶיךָ שָּׁם ׀ עַל־הַצּוּר

Ecce ego stabo ante te ibi super petra
Sic Deut. IX, 4. Jos. XXIV, 32.

4.) Si vox Sarkæ est longior vel Makephata, adeoque vox servo notanda Makepho est annexa, omittitur Munach, & statim sequitur Geresch, ob distinctiorem vocum pronuntiationem.

Ezech. XLIV, 4.

וַיְבִיאֵנִי דֶּרֶךְ־שַׁעַר־הַצָּפוֹן

Et duxit me | via porta septentrionis

§. X.

Paschta sibi unam, duas, tres, quatuor & plures voces conjunctim ptonuntiandus jungit per sequentes servos.

1 2 3 4 5 &c.

NB. 1.) Paschta in prima voce antecedente & conjungenda requirit Mahpachum, si inter tonum Distinctivi & Conjunctivi unum ad minimum punctum vocale intercedit, alias adest Merca.

Jes. XXX, 3.

יָמִם בָּאִים

Dies venientes

Sic Dan. X, 12. Gen. I, 12. Gen. XVIII, 6. Ezech. XXXVII, 25.

Gen. I, 2.

הָיְתָה תֹהוּ

Fuit inanitas

Sic Eccl. I, 8.

2.) Paschta in secunda voce ponit Kadmam, si tonum vocis punctum vocale antecedit, si vero tonus incidit in primam syllabam ponitur Munachus.

Gen. I, 12.

עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע

produxit terra herbam seminificantem semen.

Deut. XII, 7.

אֲשֶׁר־יִבְחַר יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם

Quem elegerit Jehovah Deus vester.

Sic Koh. III, 19. II. Sam. VI, 20.

3.) Paschta in tertia voce requirit Tliſcham Ketannam, quarta & reliquae omnes accipiunt Munachos.

Jes.

Jos. XIX, 51.

וְרָאשֵׁי הָאָבוֹת לְמַטּוֹת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל
בְּגוֹרָל ׀ בְּשִׁלֹה

Et capita juxta tribus filiorum Israelis per sortem in Schilunte ◌֙

4.) Si vox ◌֙ Paschtæ est longior, vel vocem primam servo notandam sibi adjungit per Makkeph, omittitur servus, & vox antecedens accipit ◌֜ Geresch vel ◌֞ Gereschaim.

Levit. IX, 7.

וַעֲשֵׂה אֶת־חַטָּאתְךָ

Et fac | sacrificium tuum ◌֙

Conf. Ex. XXXI, 6. 1. Reg. XVII, 20. Jer. XXX, 16.

5.) Si vox ◌֨ Kadma afficienda per Makkeph annexa est, omittitur ◌֨ Kadma, & antecedens vox accipit ◌֩ Tlischa Ketanna.

Ezech. XLIII, 11.

וְאֵת כָּל־חֻקֹּתָיו וְכָל־צוּרֹתָיו וְכָל־תּוֹרֹתָו

Omnia statuta ejus, & omnes constitutiones ejus & omnes leges ejus ◌֙

Conf. 2. Reg. XVIII, 14.

§. XI.

Thebhir unam, duas, tres & plures voces conjunctim pronuntiandas sibi adjungit per servos sequentes.

1 2 3 4 5 &c.

NB. 1.) prima vox conjungenda accipit Dargam, plerumque si inter tonum Domini & Servi duæ ad minimum syllabæ aut Psik intercedunt, aut יהוה cum Thebhir notata sequitur, Gen. XXVI, 22. alias adest Merca. Darga enim aliquam moram in cantu requirit, quam Merca non postulat. In quindecim tamen locis, a Masora notatis adest licet unica syllaba intercedat.

Gen. XLI, 35.

תַּחַת יַד־פַּרְעֹה

Ut coacervent frumentum sub manum Pharaonis.

Hos. X, 14.

כְּשֹׁד שַׁלְמַן

Juxta vastare Salmanem.

Sic Gen. XIIX, 18.

Deut.

Deut. XXXII, 5.

שִׁחֵת לוֹ

Corrupit se illi.

2.) Secunda vox accipit Kadmam, si tono punctum vocale præmittat. Si vero tonus incidit in primam syllabam, assumit Munachum.

Levit. XI, 12.

כֹּל אֲשֶׁר אֵין־לוֹ

Omne cui non est pinna.

Exod. XXXI, 11.

וְאֵת שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה

Et oleum unctionis.

3.) Tertia vox accipit Tlischam Ketannam, & reliquæ antecedentes omnes Munachos.

Gen. II, 19.

וְכֹל אֲשֶׁר יִקְרָא־לוֹ הָאָדָם

Et omne quod vocaret homo.

Jud. V, 28. Gen. II, 21. & 22. 2. Sam. III, 12.

4.) Si vox Thebhir est makkephata, adeoque vox conjungenda per Makkeph est annexa omittitur servus & statim Geresch ponitur.

Ezech.

Ezech. XI, 18.

וְהֵסִירוּ אֶת־כָּל־שִׁקּוּצֶיהָ

Et removebunt | omnes abominationes ejus

Conf. 2. Sam. II, 23. Ezech. XLIII, 11. Dan. I, 12. Ex. XXXVIII, 23.

§. XII.

Gerefch unam, duas, tres & plures voces, conjunctim pronuntiandas, fibi annectit per fervos fequentes

1 2 3 4 &c.

NB. 1.) Prima vox accipit, fi tonus incidit in primam fyllabam. Si vero tono præmittitur punctum vocale, ponitur Kadma.

Jer. II, 23.

אֵיךְ תֹּאמְרִי

Quomodo dicitis.

Sic Deut. XXX, 13. cap. XVII, 7. Ex. XLVIII, 34. Jer. II, 10. 23.

Levit. XXIV, 8.

בְּיוֹם הַשַּׁבָּת

In die Sabbathi.

Sic

Sic Levit. XXIV, 8. Jer. I, 18. cap. II, 6. cap. XXXVIII, 6.

2.) Secunda vox plerumque assumit ֩ Tlischam Ketannam, quandoque ֣ Munach Psikatum 2. Sam. XIII, 32. Gen. XVIII, 9. Jer. IV, 19. XXXIIX, 11. XL, 11.

Reliquæ præcedentes omnes accipiunt ֣ ֣ Munachos.

2. Sam. X, 3.

וַיֹּאמְרוּ שָׂרֵי בְנֵי־עַמּוֹן

Et dixerunt Principes filiorum Ammon.

Sic 2. Sam. X, 3. Dan. IV, 29. Mich. IV, 5, Lev. XI, 42. Jud. XX, 15. Neh. VIII, 3. Gen. XIII, 10. & XIV, 5. 2. Chron. II, 14.

1, Sam. XIV, 47.

בְּמוֹאָב וּבִבְנֵי־עַמּוֹן וּבֶאֱדוֹם

Contra Moabum, & contra filios Ammonis, & contra Edomum.

1. Reg. XIV, 21.

בֶּן־אַרְבָּעִים וְאַחַת שָׁנָה רְחַבְעָם בְּמָלְכוֹ

Filius quadraginta & unius anni fuit Rechabeam, cum Rex factus est.

Sic

Sic. Jer. XXIIX, 11. Ex. XXIII, 15. c. XXV, 20. c. XXVII, 21. Levit. XIX, 34. c. XX, 2. Jer. XXVI, 6. Gen. XXX, 35. Ex. XI, 8.

§. XIII.

֡ Paser & ֠ Tlischa Gedola unam, duas, tres & plures usque ad sex antecedentes voces, ad hoc membrum pertinentes, sibi annectit per tot ֣ ֣ Munachos; quæ voces conjungendæ vel distinguendæ sint, interpres ex sensu & contextu colliget.

Jar. XXXV, 15.

וָאֶשְׁלַח אֲלֵיכֶם אֶת־כָּל־עֲבָדַי הַנְּבִיאִים
הַשְׁכֵּם וְשָׁלֹחַ לֵאמֹר

Quin misi ad vos omnes servos meos, Prophetas, matutinando, & mittendo, dicendo.

Sic 1. Chron. XXIIX, 8. Hag. II, 24. 1. Reg. X, 25. Jos. V, 9. Es. XXXIIX, 8. Jer. XIV, 16. c. XVII, 25. c. XXII, 4.

Jer. XLI, 1.

בָּא יִשְׁמָעֵאל בֶּן־נְתַנְיָה בֶן־אֱלִישָׁמָע
מִזֶּרַע הַמְּלוּכָה

Venit

Venit Ismael filius Nethanjæ, filii Elischamæ, de semine Regni.

Sic Levit. XIII, 3. 2. Reg. IV, 1. c. XIIX, 37. Ex. VIII, 11. Jes. XX, 4. 2. Reg. XVI, 5. Num. XXII, 29. Jud. XIIX, 7. Deut. XXV, 19.

§. XIV.

◌֟ Karne Para, qui invenitur in XVII. locis in Libris Prosaicis pro ◌֡ Pasere, primam vocem sibi annectit per ◌֪ Jerachum antecedentes accipiunt ◌֣ ◌֣ Munachos. Interpres vocum distinctiones, & conjunctiones ex contextu facile cognoscat.

Jos. XIX, 51.

אֲשֶׁר־נִחֲלוּ אֶלְעָזָר הַכֹּהֵן ׀ וִיהוֹשֻׁעַ בִּן־
נ֟וּן

Quas distribuerunt hæreditario Eleasar Sacerdos & Jehoschua filius Nunis.

Sic Num. XXV, 5. 2. Sam. XI, 2. 2. Reg. X, 5. 1. Chron. XXXVIII, 1. 2. Chron. XXIV, 5. XXXV, 7. Esdr. VI, 19.

§. XV.

׀◌֓ Schalschelet cum Psik nullum sibi servum præmittit, & quater in Penta-

tateucho, ter in Prophetis occurrit. Ponitur in principio membri plerumq; cum Psik Joco — Rbhiæ in membro — Sekephi. v. g. Gen. XIX, 16. XXIV, 12. XXXIX, 8. Levit. VIII, 23. Esd. V, 15. Jer. XIII, 8. Am. I, 2.

§. XVI.

Quando unus Distinctivus plures servos sibi præmittit, omnes voces, servis notatæ, conjunctim legendæ sunt. Quæ vero voces grammatice construendæ, & quæ distinguendæ sint, accentuum Auctor non indicavit. Interpretis itaque judicio relinquitur, ut vocum distinctiones & connexiones ex sensu dijudicet. v. g.

Gen. XXII, 36. — habet duos servos.

כִּי בָּא בִלְעָם

Quod veniret Bileam.

Supra plura exempla adducta sunt. Sed Jon. I, 10. prima vox Monosyllabica Makkepho est connexa.

מַה־זֹּאת עָשִׂיתָ

Cur hoc fecisti.

Ex collatione horum locorum appa-

ret,

ret, quod ֖ prior in priori exemplo non distinguat, (quod tamen fere omnes accentuum doctores hactenus tradidere) sed conjungat, quia in parallelo loco altero vox prior Makkepho annectitur. Sive ergo prior vox brevior per Makkeph annectatur, sive per ֖ adjungatur perinde est. Sic etiam ֑ & ֔ sibi duas voces per servos adjungunt, uti ex exemplis supra adductis patet.

Sic ֔ duobus servis ֖ & ֥ stipatus, modo distinctionem in ֖ modo in ֥ admittit. v.g.

1. Reg. X, 19.

שֵׁשׁ מַעֲלוֹת לַכִּסֵּא

Sex gradus | throno.

Jes. XLI, 20.

לְמַעַן יִרְאוּ וְיֵדְעוּ

Ut | videant & cognoscant.

Sic Gen. I, 25. ֔ habet tres servos, inter quos distinguit ֖

וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ

Et faciebat Deus | bestiam sylvestrem.

Sic Esth. III, 7. Deut. XXXI, 16.

Sed

Sed Gen. XLVII, 17. ___ eosdem servos sibi præmittit, ubi tam ___ quam ___ distinguit.

וַיִּתֵּן לָהֶם יוֹסֵף לֶחֶם

Et dabat illis | Josephus | panem.

Deut. II, 32. ___ duos servos sibi præmittit, & distinguit ___ Kadma.

וַיֵּצֵא סִיחֹן לִקְרָאתֵנוּ

Et exibat Sichon | obviam nobis.

Sic Ez. XXIX, 12. Levit. IV, 7.

Sed 2. Sam. X, 3. ___ eosdem servos habet, sed distinguit ___

וַיֹּאמְרוּ שָׂרֵי בְנֵי־יִשְׂרָאֵל

Et dicebant | principes filiorum Israel.

Sic 2. Sam. III, 21. cap. XIV, 22. 1. Sam. V, 8. Jer. XLIX, 19. ___ habet duos servos, & distinguit ___ Kadma.

וַיַּעֲלֶה מִגְּאוֹן הַיַּרְדֵּן

Adscendet | ex superbo Jordane.

Sic cap. L, 44. Num. XXXVI, 3. Zach. XIV, 4.

Sed. Gen. XVI, 5. ___ habet eosdem servos, sed distinguit ___

וַתֹּאמֶר שָׂרַי אֶל־אַבְרָם

Et dicebat Sara | ad Abramum.

Sic Gen. XXX, 26. c. XLI, 45. Num. V, 18. Levit. V, 7.

___ habet

habet Deut. XXVIII, 29. duos servos, inter quos distinguit

אַךְ עָשׁוּק וְגָזוּל

Certe oppressus & spoliatus.

Sic Num. X, 14. c. IX, 1. ubi loco est
Sed Exod. XL, 15. etiam duos servos sibi præmittit, inter quos distinguit

לִהְיוֹת לָהֶם מָשְׁחָתָם

Ut sit illis | unctio eorum.

Sic Num. XVI, 5. 1. Sam. XVII, 40.

Tantum locorum numerum considerans intellexi, Auctorem accentuum servos plures adhibuisse, quando voces celerius & conjunctius pronuntiare voluit. Nec ulla ratione probabitur, quod Auctor accentuum aucta servorum serie voces distinguere voluerit; Si enim hoc intendisset, distinctivos non servos apposuisset. Inutiles igitur sunt & falsæ aliorum intricatæ & obscuræ de anomalica accentuatione regulæ, quas magno numero finxerunt, iisque artem hanc magis obscurarunt, quam dilucidarunt. Nec video, quid damni metuendum sit, si tres, quatuor aut plures voces interpretis judici-

cio

cio grammatice distinguantur. In N. T. sane multo plures concurrunt, quas docti interpretes quam optime interpretari norunt, licet nulla conjunctionum & distinctionum signa prostent.

§. XVII.

Uti non licet vocem unam vel plures ex membro antecedenti vel consequenti majori ad consequens vel antecedens trahere; sic etiam non permissum est interpreti, sensum sistere in servo, & sequentem vocem Distinctivo minori notatam sequenti addere. Sed singula membra minora conjunctim sunt vertenda eo sensu, quem accentuum distinctiones, sive lineolis expressæ, sive mente conceptæ admittunt. Exemplo rem clariorem reddam.

Es. LIII. 11.

מֵעֲמַל נַפְשׁוֹ יִרְאֶה יִשְׂבָּע בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים

Post laborem animæ suæ | *videbit satiabitur* ||| (h. e. videndo satiabitur) *scientia sua* || *justificabit justus* | *servus meus* ||| *multos.*

Hunc

Hunc ſenſum indicat ⁝ Sakeph in ישבע poſitus, qui vult ut ſenſus ibi ſiſtatur, nec ad ſequentem continuetur. Aquila vero & Symmachus, vocem illam ad ſequentia ita tranſtulerunt: *ἐμπλησθήσεται ἐν τῇ γνώσει αὐτοῦ implebitur cognitione ipſius.* Hi vocem ישבע vertunt *implebitur*, & neglecto accentu ⁝ ſequentibus verbis annectunt. Sed hanc accentuum ignorantiam redarguit Onkelos vertens: בחוכמתיה יזכי זכאין *ſapientia ſua juſtificabit juſtos.* Fateor Chaldæum ultimis verbis tribuiſſe ſenſum a noſtra verſione diverſum. Pergit enim: *ut ſubjiciat multos legi*, quæ reſpondent Hebræis עבדי לרבים *ſervus meus pro multis*, h. e. qui paſſione & obedientia ſua multos ad veritatis cognitionem adduxit. Nec accentus hunc ſenſum impediunt, ſupra enim obſervatum eſt, quod in membro ֜ vox penultima quandoque tardioris tantum lectionis gratia ֝ notetur. Præterea verbum הִצְדִּיק nullibi cum ל conſtructum legitur, ſed ſemper vel את, vel nudum Accuſativum requirit. v. g. Deut. XXV, 1. וְהִצְדִּיקוּ אֶת צַדִּיק *& juſtificabunt juſtum.* 1. Reg. V, 32. וּלְהַצְדִּיק צַדִּיק *& ad juſtifican-*

candum justum &c. Sensus itaque Chaldæi sequens erit: Sapientia sua justificabit justum, servus meus pro multis, h. e. quia servus meus est pro multis. Capellus ergo Crit. S. L. V. Cap. IV, p. 342. multo felicius Aquilam & Theod. ex Chaldæo emendare & sensum ab iis corruptum restituere potuisset, nisi erróneo erga antiquas versiones amore hebræum codicem supprimere tentasset. Utilissimum in accentibus invenisset subsidium, nisi hos nimis audacter abjecisset.

§. XIIX.

Hanc versus in membra minora distinguendi rationem, jam Hieronymi ætate fuisse usitatam, ex collatione eorum cum Hieronymi versibus vel commatibus, quorum quodvis lineam explet, apparebit. Lubenter equidem fateor, Hieronymum non omnes accurate secundum nostros accentus descripsisse versiculos; Attamen qui Prophetarum versionem, prout a Benedictinis excusa est, cum codice, per accentus distincto, contulerit, plerumque lineam vel versum finiri cognoscet, ubi in codice distinctivus aliquis est positus. Exempli

empli loco addam primum, qui ſe primum obtulit, Jeſaiæ verſum, ex Cap. XXX. deſumptum.

הוֹי בָּנִים סוֹרְרִים נְאֻם־יְהוָה לַעֲשׂוֹת
עֵצָה וְלֹא מִנִּי לִנְסֹךְ מַסֵּכָה וְלֹא רוּחִי
לְמַעַן סְפוֹת חַטָּאת עַל־חַטָּאת׃

Hieron. *Væ filii deſertores, dicit Dominus,*
Ut faceretis conſilium, & non ex me:
Et ordiremini telam, & non per ſpiritum meum,
Ut adderetur peccatum ſuper peccatum:

Prior linea diſtinguitur ֽ Sakepho, uti & ſecunda. Tertia finitur ֑ Atnacho & quarta ֽ Silluko. Ne fortaſſe ejuſmodi diſtinctiones ſenſus evidentiam requiſiviſſe dicas, age alios quoque & dubios verſus ſubjungam, quos ſupra cap. III. §. 7. a Symmacho aliter diſtinctos vidimus. Extant illi Jeſ. LIX, 12. 13.

Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te,
Et peccata noſtra reſponderunt nobis,
Quia ſcelera noſtra nobiſcum.

Et iniquitates nostras cognovimus,
Peccare & mentiri contra Dominum:
Et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri,
Ut loqueremur calumniam & transgressionem concepimus,
Et locuti sumus de corde verba mendacii.

In hebræo codice primum versum ⁚ Sakepho, secundum ^ Atnacho, tertium ⁚ Sakepho, quartum ı Silluko, quintum (in 13. versu) iterum ⁚ Sakepho, sextum ^ Atnacho, septimum ⁚ Sakepho, octavum denique ı Silluko finitum reperies.

Septimus equidem, si recte adverteris, non ⁚ Sakepho, sed ⸗ Darga servo finitur, sed hoc vel librarii culpa, vel Hieronymi errore factum esse existimo, hebraica enim vox הוֹרוֹ, quam Hieron. *con-conceptmus* transtulit, procul omni dubio ad sequentem octavam lineam est referenda, longe enim elegantius הורו והוגו *concepimus & locuti sumus ex corde verba mendacii*, conjungi, vel ipsa vox מִלֵּב *ex corde* nos docet. Posito itaque accentuum figuras Hieronymo fuisse incognitas, eorum tamen vis & virtus distinguen-

guendi ipsi fuit perspecta, sive eam ex codice per στίχους descripto, sive ex vacuis spatiis cognoverit, sive ex præceptore suo Judæo audiverit. Eum tamen frequenter aberrasse, neque omnes accentuum distinctiones observasse, non diffitemur.

CAP. VI.

DE VOCIBUS DUPLICI ACCENTU NOTATIS.

§. I.

Judæos antiquis & nostris temporibus Sacrum Codicem secundum accentus cantasse, supra prolixe ostensum est; quare jam causam duplicis in una voce accentus redditurus, nullam video, nisi ex eorum Musica desumtam. Hebræi nempe accentibus majoribus præmiserunt servos, & subdistinctivos minores, qui vocem ad sequentis majoris accentus modulationem præpararent. Cum vero vox majori

ori quodam accentu cantanda occurreret, quæ nullam vocem servo, vel distinctivo minore afficiendam præviam haberet; uni voci duos imposuerunt accentus, ut melodiæ æqualitatem conservarent.

§. II.

Silluk itaque in eadem voce habet Mercam servum, quandoque Tiphcham distinctivum minorem, qui utrique alias Sillukum antecedunt & vocem ad ejus modulationem præparant. Masoretæ quinque loca, in quibus Tiphcha vel Maila cum Silluko in eadem voce occurrit, annotarunt. Num. XV, 21. Hos. XI, 6. 1. Chron. II, 53. Es. VIII, 16. Levit. XXI, 4. Si ergo Masoræ fides est habenda, loco Methegi & Mercæ, qui in quibusdam codicibus occurrunt, ponendus est Tiphcha vel Maila. v. g.

Num. XV, 21.

לְדֹרֹתֵיכֶם׃ *in generationes eorum.*

§. III.

Sic Atnachus, observante Masora, in undecim locis habet Tiphcham vel Mailam

Mailam. conf. eam ad Num. XXVIII, 26. בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *in septimanis vestris*. Sic Jer. II, 31.

Masoretæ ad Num. XXIIX, 26. enumerantes loca, in quibus Atnachus prævium habet Mailum, comprehendunt omnia loca, in quibus una tantum sylla-ba inter ‸ & ‸ intercedit, sive voces sint Makkepho connexæ, ut Gen. VIII, 18. וַיֵּצֵא־נֹחַ *& exibat Noach*, juxta Athiam, sive divisæ appareant, ut in aliis.

Præterea ‸ Atnachus multoties in eadem voce habet servum ‸ Munach v. g.

Hos. VII, 15.

זְרוֹעֹתָם *brachium eorum.*

Sic Gen. XXX, 11. 1. Chron. V, 20.

§. IV.

‸ Sakeph katon ob eandem rationem in eadem voce habet ‸ Paschtam, distinctivum minorem, quandoque ‸ suum servum. v. g.

Gen. XXXV, 1.

בְּבָרְחֲךָ *cum fugeres.*

Sic Gen. XIII, 4. XVIII, 17. Ex. XI, 1. Num. I, 8. II. 15.

In Makkephatis Num. III, 36. Deut. III, 24. &c.

Exod. V, 3.

וַיֹּאמְרוּ *& dicebant.*

Sic. Gen. III, 7. 16. IV, 1. 7. Gen. II, 9. 19. & plurimis locis aliis.

NB. Si ֙ Paschta in vocem Makkephatam incidit, non in ultima litera, sed in litera vocali tonica affecta ponitur v. g.

Gen. XIII, 5.

וְגַם־לְל֙וֹט *etiam Lotho.*

Sic Jud. VII, 20. 1. Sam. VI, 14. Gen. XVII, 17. c. XXI, 33. c. XXII, 2. c. XLVII, 21. c. XLIV, 24. c. XLIII, 7. c. XXXIII, 20.

Si vero vox ֔ Sakephi est longior, ֙ Paschta non semper in Makkephata, sed quandoque in ipsa voce ֔ Sakephi locatur v. g.

Levit. VII, 25.

מִֽן־הַבְּהֵמָ֔ה *ex jumento.*

Sic Gen. XXVII, 41.

§. V.

֖ Tiphcha in octo locis a Masora ad Levit. XXIII, 21. numeratis in eadem voce assumit servum ֥ Mercam. v. g.

II. Reg.

II. Reg. XV, 16.

כָּל־הָרוֹתֶיהָ

Omnes gravidas ejus

Sic Jer. VIII, 18. Ezech. XXXVI, 25. c. XLIV, 6. Dan. V, 17. Cant. VI, 4. 1. Chron. XV, 13. sed in quibusdam Codicibus loco ֥ est Metheg.

§. VI.

֗ Rbhia in quinque locis in eadem voce habet ֥ secundum Masoram ad Zach. VII, 14.

Gen. XLV, 5.

אַל־תֵּעָצְבוּ *ne dolore afficiamini.*

Sic Exod. XXXII, 31. Koh. IV, 11. Dan. I, 7.

§. VII.

֛ Thebhir in eadem voce habet ֥ Mercam, sed in quibusdam Codicibus est Metheg. v. g.

Thren. I, 14.

יִשְׂתָּרְגוּ *implexa sunt.*

§. VIII.

֙ Paschta habet servum ֤ Mahpachum in eadem voce.

Kohel. I, 7.

שֶׁהַנְּחָלִים *ad quem fluvii.*

Sic. Kohel. VII, 10. Cant. I, 7. 12, III, 4.

§. IX.

Gereſch vel , qui plerumque Rbhiam antecedit, in quinque locis in eadem voce habet Tliſcham Gedolam, ſuum ſubdiſtinctivum. Enumerantur loca a Maſora ad Gen. V, 29. conf. ſupra Cap. I. §. 7. v. g. l. c. זֶה *hic.*

Reliqua ſunt Levit. X, 4. II. Reg. XVII, 13. Ezech. XLVIII, 10. Zeph. II, 15.

Alias in eadem voce etiam habet ſervum Kadma, ſi ſyllabam tono affectam præcedant tria puncta vocalia, quorum medium eſt vocalis longa, cui Kadma imponitur. Si vero illa deficit & tonus in ultimam ſyllabam incidit, nec ſervus vel tantum præcedit, vox accipit Gereſchain.

Gen. XLIII, 23.

אֱלֹהֵיהֶם *Deos ipſorum.*

Sic Gen. XLVIII, 4. 20. Exod. V, 10. c. VIII, 17. Deut. XXXIV, 11.

Gen.

Gen. X, 14.

וְאֶת־פַּתְרֻסִים וְאֶת־כַּסְלֻחִים

Et Pathrusim & Casluchim.

Sic Levit. XVIII, 17. c. XXVI, 30.

§. X.

Servi quoque duo eodem modo in una voce occurrunt, sed tales, quales alias Distinctivis in duabus vocibus præmittuntur. Sic sub Distinctivo Sarka occurrit

Levit. X, 12.

וְאֶל־אִיתָמָר *& ad Itamarum.*

Sic Jud. XXI, 21. Neh. XII, 44.

§. XI.

Sic sub Paschta occurrit, qui Kadma alias est secundus Paschtæ servus v. g.

Levit. XXV, 46.

וּבְאַחֵיכֶם *& in fratres vestros.*

Sic Num. XX, 1. II. Chron. XXXV, 25. Dan. III, 2. Esr. VII, 24. Ez. XLIII, 11.

Eodem modo invenitur in una

voce

voce הַמַּאֲכִלְךָ *qui te cibavit*. Deuter. VIII, 16.

§. XII.

Quandoque servus alius apponitur servo ordinario v. g. Gen. XXVIII, 2. 6. 7. פַּדֶּנָה *Paddenam*.

Sic II. Sam. XXIV, 9. II. Reg. III, 26. I. Chron. XXI, 5. sub Distinctivo ___ Sakepho & ___ Rbhia. Plures alii observantur, quos brevitatis studiosi omittimus.

CAP. VII.

DE GEMINATIS AC CENTIBUS IN DECALOGO.

§. I.

Multi accentuum interpretes duplicatorum accentuum rationem in Decalogo occultam nec facile pervestigabilem esse existimarunt. *Elias Schneegassius* in Præf. ad Versiones cap. I. & X. Ezech. p. m.

p. m. 6. magna myſteria in iis latere credidit, *magna multaque*, inquit, *in iis latere myſteria, quilibet fateri neceſſe habet, qui duplicem in Decalogo & aliis in locis conſiderabit accentuationem. Nemo unquam fuit, ex omnibus retro hominibus, qui rationem ejus dare potuit, nec erit poſthac ullus, qui eam penetrare valebit, nec eſt, quod tentes &c.* Aſſentitur *Reinbeck.* Doctr. de Accent. Cap. VII. §. 11. p. m. 219. *Accentuatio Decalogica plura dubio procul in receſſu habet, quam nobis usque ad hanc diem cognitum.*

§. II.

Salva vero aliorum opinione mihi videtur nulla in duplici accentuatione Decalogica myſteria contineri, ſed omnia quæ occulta aliis fuerunt, lucem aliquam effundent, ſi genuinum accentuum officium, ſupra confirmatum, attendamus. Duplices in Decalogo accentus nihil aliud quam duplicem Decalogi lectionem indicant. Nam in feſto Pentecoſtes Judæi Decalogum ita legunt, ut in decem præcepta dividatur, & in cujusque fine Silluk cantu exprimatur. In hoc enim feſto memoriam

riam promulgationis Legis celebrant. In mense vero Schebát, in quo eadem Sectio legenda est, Decalogus uti reliqui versus Pentateuchi leguntur.

De hac duplici lectione Decalogi in vulgato Judæorum libro *Ein Jaacob*, *Jeruschalmi Schekalim* edit. Amstel. An. 444. impressæ fol. 112. col. 4. sequentia legimus:

משל לה"ד מצינו בספרי הסופרים ונקדנים מובהקים שרוב הדברות ננקדים בב' נקודות ובב' טעמים כגון לא יהיה לך אלהים אחרים על פני · נין פני ננקדה בקמץ ובפתח · ויש בפסוק ב' טעמים גבוהים ושפלים · וכן לא תרצח לא תנאף הנקודות והטעמים כפולים ועוד חדוש אחר שכל תי"ו מהן ,יש בה דגש ורפה וזה כפי הנראה הוא סותר זה לזה · והטעם האמתי לכל זה מפורסם שיש ב' קריאות בי' דברות האחד כשקורא היחיד בינו לבין עצמו אינו מדקדק לקרות כל דבור ודבור בפני עצמו אלא מחלק הפסוקים כסדר קריאתו כגון דבור לא יהיה לך שהוא ארוך עושה ממנו פסוקים רבים וכן זכור את יום השבת וד' דברות אחרונים שהם קטנים עושה מכלם פסוק אחד

אחר אבל הקורא בצבור צריך שיקרא כל
דבור ודבור בפני עצמו בין שיהיה הדבור
גדול ר״ל גדול בכתב בין שיהיה קטן
יתחייב פז״ן שנוי בטעמים ובנקודות
ובדגש ורפה להבדיל בין ב׳ הקריאות
כפי ספור הנקודה: וראיה לזה שבדבור
אנכי אין בו ב׳ נקודות וב׳ טעמים כי הוא
דבור אחד קצר ונאה לקרותו בפסוק אחד:

Quæ hunc ſenſum habent: *Hanc rem* (de qua antea dixit) *illuſtrabo. Invenimus in libris ſcribarum & punctatorum celeberrimorum, quod pleraque præcepta punctata ſint duplicibus vocalibus & duplicibus accentibus.* v. g. Exod. XX, 3. Non ſint tibi alii Dii coram me. *Nun in* פְּנָֽי *punctatum eſt Kamezo & Patacho. Sunt etiam in hoc verſu duplices accentus ſuperiores & inferiores. Sic etiam* v. 13, 14. non occides, non mœchaberis, *ubi etiam vocales & accentus duplices ſunt. Præterea extraordinarie quoque omne* ת *in illis præceptis habet Dageſch & Raphe, quorum alterum alteri apparenter eſt contrarium. Vera omnium horum ratio nota eſt, quod nempe Decalogus duplici modo legatur. Primum modum obſervat privatus quando pri-*

vatim

vatim legit, hic enim non solicitus est, quomodo singula præcepta separatim sint legenda; sed dividit versus secundum vulgarem legendi modum. v. g. *Præceptum primum* Non sint tibi Dii alii &c. *est longum*, (continuatur enim ad versiculum 6.) *ideo ex eo fecit multos versus. Sic etiam Præceptum v. 8. seqq.* Recordare diei Sabbathi. *Quatuor ultima præcepta, sunt brevia, ideo ex illis omnibus fecit unum versum. Sed qui legit in conventu publico, debet singula præcepta separatim legere, sive illa magna sint in scriptura, sive parva, & obligatus est variare in accentibus & vocalibus, in Dagesch & Raphe, ut discrimen appareat inter duplicem lectionem in Codice punctato indicatum. Ratio hujus rei patet: nam in præcepto*, ego Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, &c. *neque duplices vocales, neque duplices accentus reperiuntur. Est enim præceptum unum parvum, quod commode sicut unus versus legitur.*

§. III.

R. Jechaskia in libro Chaskuni ad Ex. XX, 14. duplicem quoque lectionem Decalogi

calogi

calogi inter Judæos usitatam esse fatetur, ob eamque causam duplices in Decalogo accentus esse positos docet ש׳ ברוב הדברות שתי נגינות ללמד שבעצר׳ שהוא דומה מתן תור׳ ומתרגמי׳ הדברו׳ קורין כל דברת לא יהיה לך וכל דברת זכור בנגינות הגדולות לעשות כל אחת מהן פסוק אחד שכל אחד מהן דבור אחת לעצמ׳ ודברות לא תרצח לא תנאף לא תגנוב לא תענה קורין בנגינות הקטנות לעשות ד׳ פסוקים שהם ד׳ דברות אבל בקדש שבט כשקורין בפרשת יתרו כשאר שבתו׳ השנה קורין לא יהיה לך וזכור בנגינו׳ הקטנו׳ לעשו׳ מכל אחת מהן ד׳ פסוקי׳ ודברות לא תרצח לא תנאף לא תגנוב לא תענה קורין בנגינות הגדולו׳ לעשותן פסוק אחד לפי שלא מצינו בכל המקר׳ פסוק משתי תיבות חוץ מאלו ובשבועו׳ דוק׳ כמו שפי׳ למעלה גם בדברו אנכי ולא יהיה לך יש נגינה נראה לעשותן שתיהן פסוק אחד לזכרון שבדבור אחד נאמרו כנגד בתיבת אנכי פשטא ובתיבת אלהיך זקף קטון ובתיבת הוצאתיך תלשא ובתיבת מארץ מצרי׳ קדמ׳ ואזלא ובתיבת עבדי׳ רביע: *Sunt in plerisque præceptis duplices accentus, quo docetur, quod in festo Pentecostes, quod speciem promulgationis legis divinæ refert, & in quo decem præcepta interpretari solent, legant duo hæc præcepta:* Non sint tibi Dii alieni &c. recordare diei Sabbathi &c. *voce elevata, faciantque ex quovis eorum versum unum, quia quodvis eorum unum præceptum constituit. Et præcepta*, non occidas, non

6 וְעֹשֶׂה חֶסֶד לַאֲלָפִים לְאֹהֲבַי וּלְשֹׁמְרֵי
מִצְוֹתָי׃
7 לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ
לַשָּׁוְא כִּי לֹא יְנַקֶּה יְהוָה אֵת אֲשֶׁר־
יִשָּׂא אֶת־שְׁמוֹ לַשָּׁוְא׃
8 זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ׃
9 שֵׁשֶׁת יָמִים תַּעֲבֹד וְעָשִׂיתָ כָּל־מְלַאכְתֶּךָ׃
10 וְיוֹם הַשְּׁבִיעִי שַׁבָּת לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ לֹא־
תַעֲשֶׂה כָל־מְלָאכָה אַתָּה ׀ וּבִנְךָ־
וּבִתֶּךָ עַבְדְּךָ וַאֲמָתְךָ וּבְהֶמְתֶּךָ וְגֵרְךָ
אֲשֶׁר בִּשְׁעָרֶיךָ׃
11 כִּי שֵׁשֶׁת־יָמִים עָשָׂה יְהוָה אֶת־הַשָּׁמַיִם
וְאֶת־הָאָרֶץ אֶת־הַיָּם וְאֶת־כָּל־אֲשֶׁר־
בָּם וַיָּנַח בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי עַל־כֵּן בֵּרַךְ
יְהוָה אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת וַיְקַדְּשֵׁהוּ׃
12 כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּךָ לְמַעַן יַאֲרִכוּן
יָמֶיךָ עַל הָאֲדָמָה אֲשֶׁר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ
נֹתֵן לָךְ׃
13 לֹא תִרְצָח לֹא תִנְאָף לֹא תִגְנֹב לֹא־
תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר׃

14 לֹא תַחְמֹד בֵּית רֵעֶךָ לֹא־תַחְמֹד אֵשֶׁת
רֵעֶךָ וְעַבְדּוֹ וַאֲמָתוֹ וְשׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל
אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃

2. *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te e terra Ægypti, e domo servorum*

3. *Non erit tibi Deus alius ante facies meas*

4. *Non facies tibi sculptile, aut ullam figuram, quæ in cœlis desuper, & quæ in terra infra & quæ in aquis sub terra*

5. *Non incurvabis te illis, & non coles ea quia ego Jehova Deus tuus* (sum) *Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum* (*etiam*) *super filios, super tertiam & super quartam generationem, si nempe me odio habeant*

6. *Et faciens misericordiam in mille generationes si nempe ament me, & observent præcepta mea.*

7. *Non sumes nomen Domini tui in vanum quia non innocentem habebit Dominus* (eum) *qui sumserit nomen ipsius in vanum*

8. *Memento diei Sabbathi, ad sanctificandum eum*

9. *Sex dies laborabis, & facies opus tuum*

10. *At dies septimus Sabbathum* (*esto*) *Domino Deo tuo non facies ullum opus, neque tu, neque filius tuus, neque filia tua, servus tuus, neque ancilla tua, aut bestia tua, aut peregrinus tuus, qui in portis tuis.*

11. *Quia sex diebus fecit Dominus cœlum, &*

terram, & mare, & omne, quod in iis est, quievitque in die septimo. Ideo benedixit Domin[us] diei Sabbathi, & sanctivicavit [e]um

12. Honora patrem tuum, & matrem tuam ut prolongentur dies tui super terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi

13. Non occides, non mœchaberis non furaberis, non respondebis contra proximum tuum ut testis falsus

14. Non concupisces domum proximi tui non concupisces uxorem proximi tui, neq; servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque asinum ejus, neque ullum quod (est) proximo tuo

§. V.

Nunc subjiciam accentus Decalogi in decem præcepta divisi prout in festo Pentecostes legitur.

I. ס אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך
מארץ מצרים מבית עבדים לא יהיה
לך אלהים אחרים על־פני לא תעשה
לך פסל ׀ וכל־תמונה אשר בשמים
ממעל ואשר בארץ מתחת ואשר במים
מתחת לארץ לא־תשתחוה להם ולא
תעבדם כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא
פקד עון אבת על־בנים על־שלשים
ועל־

וְעַל־רִבֵּעִים לְשֹׂנְאָי וְעֹשֶׂה חֶסֶד לַאֲלָפִים
לְאֹהֲבַי וּלְשֹׁמְרֵי מִצְוֹתָי׃

II. ס לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ
לַשָּׁוְא כִּי לֹא יְנַקֶּה יְהוָה אֵת אֲשֶׁר־
יִשָּׂא אֶת־שְׁמוֹ לַשָּׁוְא׃

III. פ זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ שֵׁשֶׁת
יָמִים תַּעֲבֹד וְעָשִׂיתָ כָל־מְלַאכְתֶּךָ וְיוֹם
הַשְּׁבִיעִי שַׁבָּת לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ לֹא
תַעֲשֶׂה כָל־מְלָאכָה אַתָּה וּבִנְךָ וּבִתֶּךָ
עַבְדְּךָ וַאֲמָתְךָ וּבְהֶמְתֶּךָ וְגֵרְךָ אֲשֶׁר
בִּשְׁעָרֶיךָ כִּי שֵׁשֶׁת־יָמִים עָשָׂה יְהוָה
אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ אֶת־הַיָּם וְאֶת־
כָּל־אֲשֶׁר־בָּם וַיָּנַח בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי עַל־
כֵּן בֵּרַךְ יְהוָה אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת וַיְקַדְּשֵׁהוּ׃

IV. ס כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּךָ לְמַעַן
יַאֲרִכוּן יָמֶיךָ עַל הָאֲדָמָה אֲשֶׁר־יְהוָה
אֱלֹהֶיךָ נֹתֵן לָךְ׃

V. ס לֹא תִרְצָח׃

VI. ס לֹא תִנְאָף׃

VII. ס לֹא תִגְנֹב׃

VIII. ס לֹא־תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר׃

IX. ס לֹא

IX. ס לֹא תַחְמֹד בֵּית רֵעֶךָ׃

X. ס לֹא־תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ וְעַבְדּוֹ וַאֲמָתוֹ וְשׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃

I. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te e terra Ægypti, e domo ſervorum, non erit tibi Deus alius ante facies meas, non facies tibi ſculptile aut ullam figuram, quæ in cœlis deſuper, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis ſub terra, non incurvabis te illis, non coles ea ∴ quia ego Dominus Deus tuus (ſum) Deus Zelotes, viſitans iniquitatem patrum (etiam) ſuper filios, ſuper tertiam & ſuper quartam generationem, ſi odio me habeant. Et faciens miſericordiam in mille generationes, ſi me ament, & obſervent præcepta mea.

II. Non efferas nomen Domini tui in vanum quia non innocentem habebit Dominus (eum) qui pronuntiaverit nomen ipſius in vanum.

III. Memento diei Sabbathi ad ſanctificandum eum, ſex dies laborabis, & facies opus tuum ∴ at dies ſeptimus Sabbathum (eſto) Domino Deo tuo; non facies ullum opus, neque tu, neque filius tuus, neque filia tua, ſervus tuus, aut ancilla tua, aut beſtia tua, aut peregrinus, qui in portis tuis, quia ſex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omne quod in iis (eſt), quievitque in die ſeptimo ideo benedixit Dominus Diei Sabbathi & ſanctificavit eum.

IV. Ho-

IV. Honora patrem tuum & matrem tuam ut prolongentur dies tui super terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi

V. Non occides

VI. Non mœchaberis

VII. Non furaberis

VIII. Non respondebis contra proximum tuum (ita ut sis) testis falsus

IX. Non concupisces domum proximi tui

X. Non concupisces servum ejus, aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut asinum ejus, aut ullum quod est proximo tuo

§. IV.

Si v. 2. 3. 4. 5. 6. conferas cum præcepto primo, videbis quod hoc divisum sit in quinque versus, quia nimis prolixum est; habes itaque alios accentus qui in lectione versus, alios qui in lectione integri præcepti observandi sunt. Si versum 7. & præceptum secundum componas, in utroque eosdem accentus invenies, quia & præceptum & versus aliorum versuum quantitatem non excedunt. E contrario versus 8. 9. 10. 11. comprehendunt præceptum tertium, quare & alios accentus in præcepto, alios in versibus habebis. Sed quartum præceptum & v. 12.

 eos-

eosdem exhibent accentus, quia præceptum versui æquale est. Sed quintum, sextum, septimum & octavum præceptum, quæ singula paucis vocibus constant, in versum unum colliguntur, reliquis versibus æqualem. Versus 14. tandem exhibet nonum & decimum præceptum. Alio itaque modo legendus est Decalogus secundum versus, alio secundum præcepta. Alii ergo accentus in versibus, alii in præceptis erant ponendi. Si itaque præceptorum & versuum accentus conjungas, habebis accentus in codice sacro expressos. Si vero præceptorum & versuum accentus alicubi iidem sunt, unam tantum figuram observabis.

§. VII.

De præceptorum divisione multum inter nostrates & Calvini asseclas disputatum est. Hi enim primum præceptum de non habendis Diis aliis, & de non faciendis sculptilibus diviserunt, & deinde nonum de concupiscentia actuali & decimum de concupiscentia originali conjunxerunt. Hæc lis Esræ auctoritate, cui accentus merito tribuimus, quam opti-

optime dirimitur. Accentus enim indicant, quod v. 2. 3. 4. 5. 6. unum præceptum contineant. Si itaque decem sunt præcepta, necesse est ut versum 14. in duo præcepta dividas. Deinde cuivis præcepto vel ס quod סתומה h. e. *Sectionem clausam*, vel פ פתוחה quod *Sectionem apertam* significat, est præpositum. In nullo vero codice impresso, quotquot mihi inspicere licuit, ס vel פ versiculo 4. præpositum inveni. Nec Maimon. Hilchoth Sepher Thora cap. VIII. edit. Amstel. fol. 96. col. 4. illa verba ad sectiones clausas vel apertas retulit, qui tamen ex antiquissimo Codice Hierosol. illas sectiones descripsit. In multis vero ס illud præcepto decimo, *non concupiscas uxorem proximi tui*, præfixum observavi. Legitur illud ס Exod. XX. in Bibliis Clodii, Hoogthii, Athiæ, & Censoris Calviniani Leusdenii, in quibus non sine antiquissimorum codicum suffragio est positum. Observavi illud ס in Pentateucho Judaico Amstelodami An. 462. Christi 1702. a Caspare Steinio recuso, nec non in Bibliis a Judæis Anno 438. Chr. 1658. Venetiis impressis. Reperitur illud ס etiam in Pen-

ta-

tateucho novo cum Raſchbami aliisque Commentariis An. 465. Chr. 1705. Berolini edito. Si in aliis non reperiatur, contra fidem Maſoræ factum eſt. Hi enim in Exodo 60. ס annotarunt, qui numerus, ſi hoc noſtrum omittatur, imperfectus eſt. Præterea Deut. V, ubi eadem præcepta deſcripta legis, in omnibus codicibus hebræis ס inter nonum & decimum præceptum interjectum invenies. Sic enim Maimon. l. c. fol. 57. col. 4. Sectiones Deuteronomii minores indicaturus, auctoritate Codicis MSti Ægyptiaci, ſed ex terra Judaica deportati, nititur, & noſtrum nonum præceptum a decimo litera ס diſtinxit. Accipe ejus verba: אנכי · לא תשא · שמור · כבד · לא תרצח · ולא תנאף · ולא תגנוב · ולא תענה · ולא תחמוד · ולא תתאוה · את הדברים · כולם סתומות והן אחר עשר · H. e. verba Deut. V. v. 6. *Ego Dominus Deus tuus &c.* v. 11. *Non efferas nomen Domini in vanum.* v. 12. *Cuſtodi diem Sabbathi.* v. 16. *Honora patrem &c.* v. 17. *Non occidas. Non mœcheris. Non fureris. Non reſpondeas contra ſocium tuum teſtis vani-*

vanitatis. v. 18. *Non concupiscas uxorem socii tui. Non appetas domum socii tui &c.* v. 19. *verba hæc locutus est Dominus &c. Omnia hæc verba habent* ס *præfixum, suntque numero undecim.* Si demas verba versus 19. quæ ad decem præcepta non pertinent, habebis nostrum præceptorum numerum, antiquissimo codice MSto distinctum & confirmatum.

§. IIX.

Fortasse objiciunt, quod in nono præcepto, sub duabus ultimis vocibus accentus ֽ Silluk & ֖ Tiphcha non compareant, uti in præcedentibus minoribus præceptis. Fateor quidem me nullum vidisse codicem, qui illos accentus referret, persuasus tamen sum, eos quondam fuisse appositos, quia ס litera decimo præcepto præfixa est, & : Soph Pasuk in Amstelodamensi Pentateucho, supra allegato, nonum nostrum a decimo præcepto distinguens conspicitur. Nullus vero Soph Pasuk absque præcedente ֽ Silluko reperitur. Eos itaque accentus vel scribarum errore, vel studio excidisse existimo, quia multis tam Judæis, quam Christia-

ſtianis noni & decimi præcepti conjunctio perſuaſa fuit. Antiquisſimi ergo Codices MSti eſſent evolvendi, quibus genuinos accentus reſtituere operæ pretium videtur.

§. IX.

De Sakepho in voce אלהיך in præcepto primo omnes accentuum doctores diſputant, & quidam ◌ׄ Paſerem in ejus locum ſubſtituere malunt. Sed fortaſſe ille ◌ׅ eſt poſitus, uti ſupra Cap, III. §. 2. obſervatum. Etiam h.l. inſpiciendi ſunt codices punctati, ex quibus genuini accentus reſtitui poſſunt.

CAP. VIII.

DE

LOCIS PISCA NOTATIS.

§. I.

Piſca a פסק *ceſſavit*, *pauſam fecit*, eſt circellus (◦) in medio verſus poſt ...

At-

Atnachum positus, indicans versum illum, secundum quosdam Codices, esse divisum in duos versus, qui secundum alios Codices unum tantum constituit. Alias vocatur פריגמא *Pregma*, cujus significationem Elias Levita in Arc. tab. fract. nescit, quia in Aruch non explicatur. Sed videtur esse *πρᾶγμα usus, consuetudo*. Sensusque est, in quibusdam Synagogis usu receptum esse, ut in voce Piscata versus finiatur. Masora ad Gen. IV, 8. versus viginti octo numerat, nam Gen. XXXV, 21. loco כח legendum esse videtur כה, quia ה & ח facile permutari potuit.

§. II.

Sententiam hanc imprimis ex Gen. XXXV, 22. probo, ubi hos accentus legimus:

וַיְהִי בִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בָּאָרֶץ הַהִוא וַיֵּלֶךְ
רְאוּבֵן וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו
וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל ס
וַיִּהְיוּ בְנֵי־יַעֲקֹב שְׁנֵים עָשָׂר׃

Et fiebat cum habitaret Israel in terra illa, abibat Ruben, & concumbebat cum

Bilba

Bilba pellice patris sui , *& audiebat Israel*

Et erant filii Jaacob duodecim

Si hunc versum dividas, finemque prioris in voce Israel, ubi Pisca est, ponas, sequentes ipsi accentus addere debebis.

וַיְהִי בִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בָּאָרֶץ הַהִוא וַיֵּלֶךְ
רְאוּבֵן וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו
וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל׃

Si vero reliqua verba: *& erant filii Jaacob duodecim*, huic versui addas, alii accentus addendi sunt.

וַיְהִי בִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בָּאָרֶץ הַהִוא וַיֵּלֶךְ
רְאוּבֵן וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו
וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל וַיִּהְיוּ בְנֵי־יַעֲקֹב שְׁנֵים
עָשָׂר׃

Si nunc utriusque versus accentus componas, habebis accentus in Bibliis occurrentes. Si in aliqua voce diversi accentus concurrunt, uterque exprimitur, si vero in quadam voce occurrunt accentus iidem, unus tantum imponitur. v. g. in voce

voce אביו secundum priorem accentuationem ponendus est ‾‾, secundum posteriorem ponendus est _:_, quare uterque exprimitur. Sed in voce פִּילֶגֶשׁ secundum priorem & posteriorem accentuationem ponendus est ‾‾, ideo unus tantùm ‾‾ ponitur. *Weimar. Doctr. Accent, p. 106.* existimat, quod in voce ראובן præter _:_ etiam requiratur _·_, quia Paschtam repetitum antecedere debet _:_; Sed hoc non est necessarium, prostant enim loca, in quibus Paschta repetitus absque Rbhia præcedente apparet v. g. Jer. XXXIV, 21.

§. III.

In quibusdam versibus Piscatis unus tantum ordo accentuum reperitur, quia accentus tam divisi quam conjuncti versus iidem sunt v. g. Gen. IV, 8. Si Sillukum in Piskæ locum substituas sequentes habebis accentus.

וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הֶבֶל אָחִיו׃

Si remoto Silluko in ejus locum substituas Atnachum, sequensque membrum adjungas, iidem accentus repetendi sunt.

ויאמר קין אל־הבל אחיו ויהי בהיותם בשדה וגו׳

Sub voce הבל tam ֥ ֽ servus Silluki, quam ֣ ֑ servus Atnachi ponendus erat, sed ֥ Merca omittitur, quod etiam in aliis locis Piscatis fit. v. g. Num. XXV. vers. ult. & in IX. & X. præcepto, fieri solet. Videtur punctatorem potius Distinctivorum rationem habuisse, quam servorum. Quidam cum Leusd. Phil. Hebr. Dissert. XXII. p. m. 267. sq. nullum in h. l. Piska admittunt, quia in Codice Hilleliano nullum reperitur. Alii illud necessarium esse dicunt, quod sensus ibi sit mancus; sed falluntur. Si enim cum Josepho Karo in *Toldos Isaac fol. 16. b.* illud ויאמר exponamus, *& referebat Kain*, quo sensu occurrit Deuter. XXIX. v. 21. sensus erit; quod *Cain narraverit Abeli fratri suo id, quod Deus antea dixerat.* Sic sensus plenus erit. Nulla ergo necessitas Samaritanum, Chaldæum, LXX. & Vulgatum coegit, ut supplendi sensus gratia adderent: *Eamus in campum.* Multo minus opus fuit, ut Targum Hierosol. insere-

ſereret colloquium Caini cum Abele de judicio extremo inſtitutum.

§. IV.

Reliqua loca recenſet Leusd. Phil. Hebr. Diſſert. XXII. p. m. 268. quæ omnia in Bibliis Athiæ & Leusdenii Anno 1667. impreſſis inveniuntur Gen. XXXV, 22. Num. XXV. v. ult. ubi poſt ֑ Atnachum novum caput incipit, ex quo apparet, quod Auctor, qui capita diſtinxit, habuerit Codicem, qui loco ֑ Atnachi habuerit ׃ Sillukum. Deut. II, 8. Joſ. IV, 1. VIII, 24. Jud. II, 1. 1. Sam. XIV, 19. 36. cap. XVI, 2. & 2. c. XVII. v. 37. c. XXI, 10. c. XXIII, 2. 11. 2. Sam. V, 2. 19. c. VII, 4. c. XII, 13. c. XVI, 13. c. XVII, 14. c. XIIX, 2. c. XXI, 1. & 6. c. XXIV, 10. & 23. 1. Reg. XIII, 20. Ezech. III, 16.

His addendum præceptum IX. & X. Ex. XX, 14. & Deut. V, 18. Vicem enim Piskæ ס ſupplet.

Quidam huc referunt Ezech. XLIV, 15. ubi Piſca poſt primam vocem in Buxtorfii Bibliis obſervatur, ſed hoc eſt ſpurium. Spatium aliquod fortaſſe ante

primam vocem fuit, quo Haphtaræ Sectio, quæ ibi incipit, indicata est, sed librarii culpa illud post primam vocem est positum, alius librarius ∘ Piska addidit. Ef. VIII, 3. post ‌ in quibusdam Codicibus relictum est spatium, sed absque apposito Piska, quod etiam librario est tribuendum, qui nativitatem filii Jesaiæ ab alloquio divino, ejus occasione facto, distinguere voluit. Par judicium de reliquis spatiis erit ferendum.

§. V.

Origenem Piskæ ex duobus vel pluribus Codicibus variantibus & diversa legendi ratione in diversis Synagogis deducendam esse existimo. Observavit enim librarius, quod versus in quibusdam codicibus divisus, & in locum Atnachi Sillukus substitutus esset. Dubius itaque, quem describendo sequatur Codicem, utriusque Accentus conjunxit, & finem versus, in alio Codice in medio versus positum, Piska indicavit. Inde Masoretæ scripserunt ad Gen. IV, 8. כ״ח פסר פסקין במצו׳ פסוק h. e. XXVIII. *versus finiuntur in medio versus.* Quæ verba pessime a Fa-

a Fabricio Partit. Cod. Hebr. Cap. III. lecta & translata sunt: *viginti, octo desunt versus in medio bujus versus.* Cum quo, quod miramur, Cl. etiam Hoogth. in Præf. §.36. Bibl. nuper excusorum, facit, qui Piscam hiatum in medio versu, & sensum illic defectivum indicare dicit. Hebræos discrepantes habuisse codices ipsi Talmudistæ confitentur in Nedar. Babyl. Cap. IV. fol. 38. col. a. אמר רב אחא בר ארא במערבא פסקין להדין פסוקא לתלתא פסוקין ויאמר ה' אל משה הנה אנכי בא אליך בעב הענן׃ Dixit R. Acha filius Ada in Occidente dividunt hunc versum in tres versus: *& dicebat Dominus ad Mosen, ecce ego veniam ad te in columna nubis &c.* Ex. XIX, 9. Si hunc versum inspicias, eum in tria membra majora divisum esse cognosces, inter quæ primum ∴ Segolta, secundum ‸ Atnacho, & tertium ׀ Silluko finitur. Facile itaque fieri potuit, ut unus in tres divisus sit versiculos, quamvis Pisca in nostris codicibus h. l. non reperiatur.

CAP. IX.

DE PECULIARIBUS QVIBUSDAM MODIS, QVIBUS VERSUS BIBLICI AB AUCTORE ACCENTUUM LECTI SUNT.

§. I.

Auctor Accentuum non ubique eundem versus legendi modum tenuit, sed Oratorum more, membrum aliquod quandoque tardius & distinctius, quandoque celerius legit vel cantavit. Inde est, quod si voces sint longiores, adeoque majorem moram in lectione requirant; vel si argumentum tardiorem lectionem postulet; verba tardius legit, & loco distinctivorum minorum majores, & servorum loco distinctivos minores adhibuit. E contrario si voces sint breviores, vel argumentum celeriorem pronunciationem requirat, loco distinctivorum majorum, mi-

minores, & loco diſtinctivorum minorum ſervos poſuit, membrumque celerius legendum vel cantandum eſſe indicavit. v. g.

II. Sam. XVIII, 12.

שִׁמְרוּ־מִ֕י בַּנַּ֖עַר בְּאַבְשָׁלֽוֹם׃

Obſervate omnes || puerum | Abſolonem.

Hæc verba hos etiam accentus admiſiſſent.

שִׁמְר֣וּ מִ֔י בַּנַּ֖עַר בְּאַבְשָׁלֽוֹם׃

Sed quia Auctor accentuum ſua lectione etiam affectum Davidis exprimere voluit, ideo loco ֔ Diſtinctivi minoris poſuit majorem ֕ & in locum ſervi ֣ in בנער ſubſtituit minorem Diſtinctivum ֖. Magnus eſt interpretum diſſenſus in interpretatione hujus loci, qui mihi ex neglectu idiotiſmi ortus eſſe videtur. מִי ſignificat *omnis*, eſtque collectivum, adeoque commodiſſime cum plurali conſtruitur. Interpretes h. l. מי plerunque vertunt *quisque*, quod cum ſecunda perſona verbi non conſtruitur, ſed ſi in ejus locum ſubſtituant *omnis*, omnis difficultas tollitur. Senſus enim eſt: *obſervate*

te omnes puerum Absolonem. De מי *omnis* conf. Ex. XXIV, 14. מי *omnis litigans accedat ad eos* Jud. VII, 3. מי *omnis timens & trepidus revertatur.* Plura exempla habes Gen. XXI, 24. c. X, 16. XV, 11.

Deut. I, 23.

וָאֶקַּח מִכֶּם שְׁנֵים עָשָׂר אֲנָשִׁים

Et capiebam ex vobis || duodecim viros.

Hæc verba etiam his accentibus legi potuerunt.

ואקח מכם שנים עשר אנשים

Sed quia voces celerius pronuntiandæ essent, loco — & —, distinctivi majoris ejusque servi, venit minor — cum suo servo —, & loco — & — veniunt duo — — servi — Sakephi. conf. Ex. IV, 8. V, 2. XIV, 16. &c.

Sic Num. XXII, 36.

וַיִּשְׁמַע בָּלָק כִּי בָא בִלְעָם

Et audiebat Balak | quod veniret Bilam.

Conf. 1. Sam. XIV, 39. ubi in quibusdam codicibus כי cum Munacho legitur it. cap. XXIIX, 13.

De his modis supra in singulis membris plura exempla adducta sunt.

§. II.

§. II.

Membrum, quod ſenſum abſolvit, ſed unam vel paucas voces complectitur, frequenter commodioris lectionis gratia minori Diſtinctivo ſignatur, & in lectione ſequenti membro annectitur v. g.

Jer. XLIX, 23.

לְדַמֶּשֶׂק בּוֹשָׁה חֲמָת וְאַרְפָּד כִּי־שְׁמֻעָה
רָעָה שָׁמְעוּ נָמֹגוּ

Ad Damaſcum || *pudore affecta eſt Chamath* | *& Arphad* ||| *nam famam malam* | *audiverunt* || *diſſoluti ſunt* ׃

לדמשק membrum conſtituit, ſenſumque abſolvit, eſt enim vaticinii inſcriptio. Sed vox illa ſequenti membro ׃ *Sakephi* annectitur, ac ſi ad ejus membrum pertineret.

Jeſ. XLIX, 4.

וַאֲנִי אָמַרְתִּי לְרִיק יָגַעְתִּי לְתֹהוּ וְהֶבֶל
כֹּחִי כִלֵּיתִי

Et ego dixi | *in vanum laboravi* || *in ina-*

inanitate & vanitate | vires meas consumsi ־

Verba ואני אמרתי membrum constituunt, quod majori accentu ׃ claudendum. Sed in lectione ֗ *Rbbia* notantur, ut cum sequenti ֔ *Sakephi* membro cohæreant. Hoc plerumque fit in formulis prooemialibus, si breviores sint v. gr. Jes. IX, 5. Gen. XII, 1. I. Sam. XVI, 1. Jer. XXXI, 1. Etiam in aliis Gen. XXII, 1. Ubi *Abraham* sequenti membro annexum est.

§. III.

Eodem modo membrum minus, & sensum absolvens, frequenter antecedenti membro, majori accentu distinctivo notato, commodioris lectionis gratia annectitur. v.g.

Gen. XLIX, 18.

לִישׁוּעָתְךָ֖ קִוִּ֥יתִי יְהוָֽה׃

Salutem tuam | expectavi Domine.

Dictamen Logicum & Grammaticum requirit hos accentus

לישועתך קויתי יהוה׃

Sed commodioris lectionis gratia Auctori

ctori accentuum alii accentus placuerunt, divisit enim prius membrum: *salutem tuam expectavi;* & adjunxit Vocativum יהוה, qui alias a verbo distinctus est. Sic Gen. XLIIX, 19.

Sic II. Sam. XIII, 7.

וַיִּשְׁלַח דָּוִד אֶל־תָּמָר הַבַּיְתָה לֵאמֹר

Et mittebat David | ad Thamarem || in domum dicendo.

Dictamen Logicum requirebat distinctionem majorem ‾‾ *Tiphcha* in הביתה, quæ vox cum antecedentibus cohæret, sed commodioris lectionis vel cantus gratia, illa ab antecedentibus est divisa & ultimæ adjuncta.

Conf. Gen. XXXIIX, 36. *Ego Dominus | dixi & feci.* Pro: *ego Dominus dixi | & feci.* Sic Gen. XXXI, 4. Sic Levit. XIIX, 21. ubi *ego Dominus* antecedenti membro annexum est.

§. IV.

Porro observandum quod Auctor accentuum Oratorum more etiam argumenti

menti rationem habuerit. Hinc factum, ut quandoque distinctivum majorem posuerit in voce, quæ sensum minus distinguit, sed magna consideratione digna est; & minorem in alia, quæ sensum magis distinguit. v. g.

Gen. I, 21.

Et creavit Deus cetos magnos ֑ *& omnem animam viventem repentem, quam produxerunt aquæ secundum speciem suam, & omne volatile alatum secundum speciem suam* ׃ *& videbat Deus quod esset bonum.*

Logica requirit, ut objecta creationis, ceti, viventia reptilia, & volatilia conjungantur, & sic ֑ *Atnachus* ponendus esset in למינהו *secundum speciem suam*; sed ֑ *Atn.* rejectus est in הגדולים *cetos magnos*, quod hi præ reliquis consideratione digni sint. Sic Levit. X, 6. ubi in Aharon ֔ major distinctivus, cum in בניו ille requiratur.

§. V.

Idiotismos quoque accentuum auctor observavit, & voces uno membro complexus est, quas genius hebrææ linguæ

guæ connectit. Antequam itaque interpres ob ordinario accentuum dictamine abeat, necesse est, ut Idiotismos evolvat. v. g.

Ezech. XII, 12.

וְהַנָּשִׂיא אֲשֶׁר־בְּתוֹכָם אֶל־כָּתֵף יִשָּׂא
בָּעֲלָטָה וְיֵצֵא

Princeps qui inter eos | super humero portabit || in tenebris exibit.

Verba בעלטה ויצא *in tenebris & exibit*, involvunt idiotismum, quem lingua latina non fert: nulla enim in hac prostat particula, quæ significationi istius responderet. Sed Germanorum particula expletiva da optime Hebræorum ו exprimit. Vertamus ergo: in Finsterniß/ da soll er ausgehen. Hunc sensum esse genuinum patet ex

Jos. II, 5.

וַיְהִי הַשַּׁעַר לִסְגּוֹר בַּחֹשֶׁךְ וְהָאֲנָשִׁים
יָצָאוּ

Cum esset porta claudenda || in tenebris | & viri exiverunt.

H. 1.

H. l. ו in והאנשים *& viri* uti ſupra, redundat, ſi latine vertere velis; ſi vero Germanice eloquaris non redundat: in Finſternüß / da giengen dieſe Männer hinaus. Neſcio, quas alii affectuum commotiones, accentibus indicatas, hic fingunt.

Sic Jeſ. LI, 1.

הַבִּיטוּ אֶל־צוּר חֻצַּבְתֶּם וְאֶל־מַקֶּבֶת בּוֹר נֻקַּרְתֶּם׃

Reſpicite | ad petram ex qua exciſi eſtis || & ad effosſionem foveæ | ex qua effosſi eſtis.

Voces צור חצבתם *petra ex qua effosſi eſtis*, non conjungendæ videntur, ſi judicium latina lingua ferat; hæc enim neceſſario voces *ex qua* inſerere debet. Sed hebræa lingua, quæ particulam אשר frequenter omittit, illas voces optimo jure conjungit, quia ſenſu cohærent, nec aliqua vox intercedit. conf. Joel. IV, 3.

Sic: Jonæ III, 9.

מִי־יוֹדֵעַ יָשׁוּב וְנִחַם הָאֱלֹהִים

Quis

Quis scit annon revertatur | & sententiam mutet Dominus?

Interpretes etiam Judæi hæc verba in varios sensus trahunt, idiotismum non observantes. Notum vero est, frequenter interrogandi particulas in hebræa lingua omitti, si interrogatio alio quodam signo indicata sit. H. l. interrogationis signum latet in מי יודע quis scit? ideoque commode omittitur. Conf. II.Sam. XIX, 13. אחי אתם *nonne fratres mei estis?* lege sequentia videbis, quod ibi necessario interrogatio omissa, & in alia lingua supplenda sit. Ne mireris hanc linguarum discrepantiam: Hebræi enim vocis elevatione & gestu multa expresserunt, quæ si non ex contextu evolvuntur, obscuritatem pariunt.

Sic Esr. III, 12.

וְרַבִּים מֵהַכֹּהֲנִים וְהַלְוִיִּם וְרָאשֵׁי הָאָבוֹת
הַזְּקֵנִים אֲשֶׁר רָאוּ אֶת־הַבַּיִת הָרִאשׁוֹן
בְּיָסְדוֹ זֶה הַבַּיִת בְּעֵינֵיהֶם בֹּכִים בְּקוֹל
גָּדוֹל

H. e.

H. e. *Et multi||ex sacerdotibus & Levitis & primatibus patrum | seniorum || qui viderant | primum templum || cum fundatum esset |||| cum hoc templum in oculis illorum esset ||| fleverunt, voce magna* —.

Capellus Crit. S. L. VI. C. IV. p. m. 395. Sakephum in כיסדו male collocatum esse suspicatur, ignorantia idiodismi deceptus. Si enim cognovisset, quod Infinitivus loco nominis ponatur, quod *Glass.* L. III. Tr. III. Can. XLIV. p. m. 875. observavit, & ביסדו *in fundatione sua*, vertisset, nullum Auctori accentuum errorem imputasset. Commode enim verba vertuntur: *qui viderant domum primam in fundatione sua*. Vel si magis placuisset, potuisset Infinitivum per præteritum explicare, quod omnes Grammatici docuerunt, & sensu eodem vertere: *qui viderant domum primam cum fundata esset*.

§. VI.

Ex arbitrio suo Auctor accentuum multas voces distinxit, quas alibi conjunxit,

xit, ut adeo neque ex Grammatico vel Logico dictamine firmæ regulæ dari possint, sed tantum dictamen oratorium euphonica nempe elocutio observanda sit. v. g.

Gen. XI, 9.

כִּי־שָׁם בָּלַל יְהוָה

Quia ibi | confudit Dominus.

& Gen. XXI, 31.

כִּי שָׁם נִשְׁבְּעוּ שְׁנֵיהֶם׃

Quia | ibi jurarunt || ambo.

Idem in utroque loco est verborum nexus, non tamen eadem verborum distinctio & conjunctio. כי in priori loco cum שם per Makkeph est connexum, sed in posteriori per ¯, distinctum. שם in priori a בלל est distinctum, sed in posteriori cum נשבעו connexum. בלל in priori est connexum cum subjecto יהוה, sed in posteriori distinguitur a subjecto suo. Quæ omnia neque ex Dictamine Grammatico nec Logico, sed ex arbitrio oratorum, gratam elocutionem intendentium, dijudicantur.

Sic Gen. XXI, 4.

כַּאֲשֶׁר צִוָּה אֹתוֹ אֱלֹהִים׃

Quemadmodum | præcepit ipsi || Dominus.

& Gen. XX, 13.

כַּאֲשֶׁר הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים

Cum abduceret me | Deus.

כאשר in priori est distinctum, in posteriori connexum.

Sic: Jos. XIIX, 11.

בֵּין בְּנֵי יְהוּדָה וּבֵין בְּנֵי יוֹסֵף׃

Inter filios Judæ || & inter filios | Joseph.

In priori בני יהודה sunt connexa, in posteriori בני יוסף sunt distincta.

Sic Jer. XXV, 27.

אֲשֶׁר אָנֹכִי שֹׁלֵחַ בֵּינֵיכֶם׃

Quem | ego mitto || inter vos.

Jer. XVI, 5.

אֲשֶׁר אָנוֹכִי שֹׁלֵחַ אֲלֵיכֶם

Quos ego | mitto ad vos.

Gen.

Gen. V, 26.

וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

Et genuit filios | & filias.

II. Chron. XXIV. 3.

וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

Et genuit | filios & filias.

Hag. II, 6.

וַאֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ

Ego || commovebo | cælum & terram.

v. 21.

אֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ׃

Ego commovebo || cælum & terram.

Sic Jer. V, 17. 1. Sam. V, 8. & v. 11.

§. VII.

Parenthesis apud Hebræos nullo peculiari signo accentus indicatur, sed eodem modo, uti reliquæ versus partes leguntur; in chorali enim cantu versus omnes simili modo cantantur.

Jos. XXI, 8.

וַיִּתְּנוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל לַלְוִיִּם אֶת־הֶעָרִים הָאֵלֶּה וְאֶת־מִגְרְשֵׁיהֶן כַּאֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה בְּיַד־מֹשֶׁה בְּגוֹרָל׃

Et dabant filii Israel | Levitis || urbes illas | & suburbia (quemadmodum praeceperat Dominus | per Mosen) per sortem.

Jer. XXXI, 1.

בָּעֵת הַהִיא נְאֻם־יְהוָה אֶהְיֶה לֵאלֹהִים לְכֹל מִשְׁפְּחוֹת יִשְׂרָאֵל

In tempore illo | (dicit Dominus) ero in Deum || omnibus | familiis Israelis.

Quidam putant, quod vox illa, in qua parenthesis clauditur, magno quodam accentu signetur, quem nullus major præcedat. Sed locus ex Josua adductus contradicit, antecedunt enim majores accentus Conf. Deut. V, 4. & 5. ubi verba ab אנכי (*ego stans inter Dominum & inter vos in tempore illo ad indicandum vobis verbum Domini, timebatis enim præsentiam ignis nec volebatis adscendere in montem*) omnia

omnia parentheſi ſunt includenda, & vocem, quæ parentheſin claudit, & ֔ & ֑ antecedit. Vox enim ultima לֵאמֹר dicendo, ad verſ. 4. eſt referenda, hoc ſenſu: *Facie ad faciem locutus eſt Dominus vobiscum, in monte ex igne (ego ſtans inter Dominum &c.) dicendo.* Sic Gen. XXV, 20.

§. VIII.

Exclamationis ſignum nullum in accentibus reperitur, ſed membrum cum exclamatione legendum eodem modo accentibus diſtinguitur, uti alia membra. v. g.

Jeſ. I, 2.

שִׁמְעוּ שָׁמַיִם וְהַאֲזִינִי אֶרֶץ

Audite cœli | auſculta terra!

Ibid. v. 24.

נְאֻם הָאָדוֹן יְהוָה צְבָאוֹת

Dixit Dominus | Deus Zebaoth.

Jeſ. V, 21.

הוֹי חֲכָמִים בְּעֵינֵיהֶם

Væ | qui ſapientes ſunt in oculis ſuis!

Cap. X. v. 25.

כִּי־עוֹד מְעַט מִזְעָר

Quia adhuc | valde paululum!

§. IX.

Nomina propria, per appositionem connexa, quandoque euphonicæ lectionis gratia distinguuntur. v. g.

II. Reg. XVI, 7.

תִּגְלַת פִּלְסֶר מֶלֶךְ־אַשּׁוּר

Tiglath | Pileser Rex Assyriæ.

Es. VII, 3.

וּשְׁאָר יָשׁוּב בְּנֶךָ

Et Schear | Jaschub filius tuus.

Voces *Tiglath & Schear* accentu distinctivo notatæ sunt, non obstante quod quævis earum cum sequenti nomen proprium constituat.

Hoc tamen non ubique fit. II. Chron. XXVIII, 20. legitur:

תִּגְלַת פִּלְנֶאסֶר מֶלֶךְ אַשּׁוּר

Thiglath Pilneser | Rex Assyriæ, ubi conjunguntur.


Sic

Sic quoque Gen. XXIIX, 19.

וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה׃

Et Ulam | Lus nomen urbis || erat quondam

Sic enim LXX. reddunt: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον, & *Ulamluz erat nomen urbi prius*. אולם enim est *porticus, vestibulum*, & לוז *corylus* vel *amygdalus*, ut *vestibulum vel porticum corylorum vel amygdalorum* significet.



CAP.

CAP. X.

DE ACCENTIBUS IN LIBRIS METRICIS.

§. I.

TRes libri, Jobus, (exceptis cap. I. & II. & v. 1. cap. III. nec non undecim versibus ultimis ejusdem libri) Psalmi, & Proverbia אמת appellati, alio modo a Judæis leguntur, aliisque accentibus distinguuntur, quam reliqui libri biblici. Nam licet accentuum figuræ in toto Hebræo codice eædem sint, in eo tamen Metrica accentuatio differt a Prosaica, quod α) quidam accentus Prosaici in metrica nunquam inveniantur. v. g. ∴, ⁝, ⁚, ‚ Paschta ‑ Jethib ‚ , ‚ , ‚ , ‚ simplex, ‚ , ‚

β) Quod quidam in Metricis componan-

nantur, qui in Prosaicis compositi non occurrunt v.g. ... , ... , ... , ...

γ) Quod quidam in alio loco ponantur, quam in Prosaicis v. g. ... anterior ... superior.

In officio vero conveniunt, Distinctivi enim metrici versum in membra distincte legenda dividunt, & Conjunctivi voces conjunctim legendas conjungunt.

§. II.

:— *Silluk cum Soph Pasuk* indicat versum esse finitum, & lectorem debere paululum subsistere, antequam ad lectionem sequentis versus progrediatur. — *Silluk* ponitur infra ultimam versus vocem, post vocalem tono affectam, :— post ultimam literam, uti in Prosaicis.

§. III.

— *Merca Mapachatus* primum in versu absolvit membrum, & indicat, quod in voce, illo notata, maxima in versu sit distinctio, lectorque debeat in illo magis subsistere, quam in sequenti — *Atnacho.*

nacho. ֥ *Merca* ponitur infra vocem post vocalem tono affectam; ֤ *Mahpach* vero imponitur, literæ antecedentem vocalem modificanti, v. g. רְשָׁעִים Pſ. I, 1. quandoque tamen in eadem ſyllaba ponitur. v. g. לִ֤י Pſ. XXX, 12. quandoque dividitur & ֥ *Merca* ſubjicitur voci, cujus tonus eſt in prima ſyllaba, ֤ *Mapach* vero imponitur ſyllabæ ultimæ vocis antecedentis, ſive per Makkeph annexa ſit, ſive non Hæc ſi longior eſt, præter ֤ *Mapachum* etiam ֪ *Jerachum* recipit, ſin vero brevior in præcedentem antepenultimam ֪ *Jerach* rejicitur v.g.

Pſ. LVI, 9.

נֹדִ֗י סָפַ֫רְתָּה אָ֥תָּה *fugam meam numeraſti tu.*

Pſ. LXII, 10.

כָּזָ֪ב בְּנֵ֤י אִ֥ישׁ *mendacium ſunt filii hominis.*

conf. Pſ. XL, 18.

§. IV.

֑ *Atnach* abſolvit ſecundum in verſu membrum; indicatque lectorem in voce illo notata pauliſper debere ſubſiſtere antequam ad tertium membrum *Silluki*, cum quo magis, quam cum antecedenti

denti Merca Mapachati cohæret, progrediatur. Ponitur infra vocem post vocalem tono affectam, uti in Prosaicis.

§. V.

Rbbia Gereschatus est subdistinctivus *Silluki*, indicatque vocem suam exhibere partem membri Silluki, quam lector distincte exprimere debet. *Rbbia* imponitur syllabæ tono affectæ, & *Geresch* primæ ejusdem vocis literæ. *Geresch* tamen frequenter abesse solet.

§. VI.

Tiphcha anterior est subdistinctivus *Atnachi*, & hoc absente *Rbbia Gereschati*, indicatque vocem suam sistere partem membri vel . Ponitur ante primum vocis punctum vocale.

§. VII.

Rbbia simplex est subdistinctivus in membro *Atnachi*, *Merca Mahpachati* & *Rbbia Gereschati*, absente

te in versu ֑ *Atnacho.* Indicat vocem suam sistere partem membri ֑, ֒ vel ֗ distincte exprimendam. Aliquando eodem valore repetitur in membro eodem. Imponitur literæ, quæ syllabam tono affectam incipit, ut in Prosaicis. Quandoque præmittit sibi ֘ Sarkam in eadem voce longiori Ps.XX, 6. בִּישׁוּעָתֶךָ *in salute tua.*

§. IIX.

֘ *Sarka* est subdistinctivus ֤ , ֣ *Mercæ Mahpachati*, indicatque vocem suam sistere partem membri ֤ distincte legendam. Imponitur ultimæ vocis literæ, uti in Prosaicis.

§. IX.

֡ *Paser* est subdistinctivus in membro ֽ *Silluki*, ֗ *Rbbiæ Gereschati*, ֗ *Rbbiæ simplicis*, & ֖ *Tiphchæ anterioris*, & indicat vocem suam sistere primam illorum membrorum partem, distincte legendam. Quandoque, si membrum ֗ *Rbbiæ* longius est repetitur. Impo-

ponitur literæ syllabam tono affectam incipienti, uti in Prosaicis.

§. X.

Schalschelet est subdistinctivus in membro Silluki, Rbbiia Gereschati & Atnachi, indicatque suam & antecedentes per servos annexas voces sistere primum membrorum illorum partem, distincte pronuntiandam. Imponitur literæ syllabam tono affectam incipienti.

§. XI.

Psik est distinctivus minor & apponitur quandoque, Kadmæ Mahpacho, Munacho, Mercæ, Schalschelèto, Pasero, vocemque ejus aliquo modo in pronuntiatione distinguendam esse indicat.

§. XII.

Accentus Conjunctivi sive servi in libris metricis sunt

Munachus inferior ponitur post vocalem tono affectam.

Munach superior imponitur literæ voca-

vocalem tono affectam incipienti, & vocis elevatione aliquo modo distinguit.

§. XIII.

Merca simplex ponitur post vocalem tono affectam.

Merça Sarkatus. Merca quandoque componitur cum Sarka, quando in eadem voce vocalis longa vel longæ vicaria antecedit, cui possit imponi. v. g. Pſ. X, 3. בִּ֭צֵּעַ *sprevit*. Quandoque dividitur, & duabus vocibus imponitur, quod fit, quando Merca tonus in primam syllabam incidit, & præcedens vox in vocalem longam desinit. v.g. Pſ. XVIII, 20. כִּ֖י חָ֣פֵֽץ בִּֽי׃ *quia delectatur me*.

§. XIV.

Mahpach simplex, ponitur post vocalem tono affectam. Quando servit Sarkæ plerumque assumit Psik.

Mahpach Sarcatus. Mahpach componitur cum *Sarka* eadem conditione qua Merca, quandoque in eadem voce, v. g. Pſ. LXXVIII, 31. עָ֤לָ֨ה *adscendit*.

dit. Quandoque in duabus v.g. Pſ. XLIX, 15. וַיִּרְדּוּ בָם & *dominabuntur illis.*

§. XV.

— *Tiphcha poſterior* ponitur poſt vocalem tono affectam, & cum — *anteriori* diſtinctivo non confundendus eſt.

— *Kadma* imponitur ſyllabæ tono affectæ, & vocis elevatione aliquo modo diſtinguit. Quando ſervit — vel — Sarkæ plerumque aſſumit Pſik.

CAP. XI.

DE VERSU METRICO EJUSQVE DIVISIONE IN MEMBRA MAJORA.

§. I.

IN libris metricis reperiuntur etiam verſus trium vocum uti in Proſaicis. Pſ. XIX, 1. XL, 1. XLVIII, 1. LXXXIX, 1. Job. XIX, 1. XXXIV, 1. Reliqui ſunt quatuor, quinque & plurium vocum. Auctor accen-

centuum tot voces in versum coegit, quot ipsi placuerunt, hanc tamen legem sibi posuit, ut voces unius versus distinctum couceptum referrent.

§. II.

Versus metricus alio modo apud Hebræos lectus est, quam versus Prosaicus. Sed uti in Prosaico non curavi cantum, sed tantum distinctam lectionem, quæ absque cantu esse potest; sic etiam in metrico versu mitto cantum & tantum distinctam lectionem observo, juxtaque eam versionem versuum instituendam esse existimo.

§. III.

Versus Metricus, vel una, vel duabus, vel tribus pausis legitur.

Versus per *Merçam Mahpachatum*, *Atnachum*, & *Sillukum* distinctus, ita vertendus est, ut sensus distinctior sit in *Merca Mahpachato* quam in *Atnacho*. Tales versus quandoque unam, quandoque duas, quandoque tres & plures propositiones exhibent. v. g.

Ps.

Pſ. XVIII, 13.

Propter ſplendorem qui coram ipſo eſt —< *nubes ejus tranſierunt* ‾ *grandine & flamma ignea* ‾:

Unica adeſt propoſitio triplici pauſa lecta. Conf. Pſ. XXXI, 19.

Pſ. XVIII, 16.

Conſpiciebantur alvei aquarum, & retegebantur fundamenta orbis —< *propter increpationem tuam o Domine* ‾ *propter flatum venti naſi tui* ‾;

Sic Pſ. I, 3.

Duæ adſunt propoſitiones ſed triplici pauſa lectæ, maximaque diſtinctio eſt in —< *Merca Mahpachato.* Conf. Pſ. IV, 9. VII, 9. XXIV, 8. XXVII, 3.

Pſ. XI, 1.

Præfecto Muſices Davidis —< *In Domino ſperavi, quomodo dicitis ad me* ‾ *fugite ad montem veſtrum uti aves* ‾:

Sic Pſ. XCIX, 4.

Tres adſunt propoſitiones, quarum primam finit *Merca Mabpachatus*. Secundam & partem tertiæ finit *Atnachus*, ultimam partem tertiæ *Sillukus*.

Pſ. V, 10,

Nam non eſt in ore ejus firmum, intimum ipſorum ſunt perverſitates ſepulchrum apertum eſt guttur ipſorum lingua ſua blandiuntur:

Quatuor propoſitiones adſunt, quarum duæ priores conjunctæ finiuntur *Merca Mabpachato*, tertia *Atnacho* & denique quarta *Silluko*. Conf. Pſ. I, 1. III, 6. VI, 3. C. 3. CI. 3.

§. XII.

Verſus Metricus per *Atnachum* & *Sillukum*; vel *Mercam Mabpachatum* & *Sillukum* diſtinctus vertendus eſt, ut maxima ejus diſtinctio incidat in *Atnachum*, vel *Mercam Mabpachatum* ſive una vel duæ vel

plures

plures propositiones in eodem contineantur. v. g.

Ps. VIII, 10.

Domine, Domine noster ⏜ *quam excelsum est nomen tuum in omni terra* ⊥:

Conf. Ps. III, 1. VIII, 11. IX, 4. XII, 9 CXVI, 1.

Ps. XXXI, 19.

Muta reddentur labia mendacia , *quæ loquuntur contra justum opprobrium cum superbia & contemtu* ⊥:

In utroque loco una est propositio, maxima distinctio in versu priori incidit in ⏜ *Atnachum*, in posteriori in < *Mercam Mahpachatum*.

Ps. III, 5.

Voce mea ad Dominum clamare soleo ⏜ *& exaudivit me ex monte sanctitatis suæ Sela* ⊥:

Conf. Ps. I, 4. II, 12. IV, 6. V, 2.3. VIII, 2.7.

Ps. XLIII, 4.

Veniam ad altare Domini , *ad Dominum*,

num, gaudium exultationis meæ ⌐ *&*
celebrabo cithara, o Deus o Deus mi ⊤:

In utroque adſunt duæ propoſitiones, quarum prior ⌐ & ⌐ , poſterior ⊤ Silluko clauſa eſt.

Pſ. X, 11.

Dixit (impius) in corde ſuo, oblitus eſt Dominus ⌐ *abſcondidit facies ſuas, non videbit in æternum* ⊤

Adſunt quatuor propoſitiones, quarum duæ priores, & duæ poſteriores conjunctæ ſunt.

Exemplum trium propoſitionum extat Pſ. VII, 10.

Pſ. LV, 23.

Projice ſuper Dominum donum tuum, & ille ſuſtentabit te ⌐ *non concedet in æternum lapſum juſti* ⊤:

Adſunt tres propoſitiones, quarum duæ priores conjunctæ ſunt & ⌐ *Merca Mahpachato* clauſæ.

Sic Pſ. XXXI, 23.

Verſus

§. V.

Versus metrici, in quibus neque ‾ *Atnachus* neque ‾ *Merca Mahpachatus* apparet, unica pausa lecti sunt. In versione maxima distinctio in :_‘ *Rbbia Gereschato* ponitur. Ejusmodi versus plerumque brevis est, & quandoque unam, duas aut plures propositiones exhibet. v. g.

Ps. XXVII, 7.

Audi Domine, quum mea voce clamavero :_‘ *miserere mei, & responde mihi* ⊤:

Conf. Ps. LII, 8. LIX, 7. 15. LXXXIII, 18. XCIX, 5. CIV, 35.

Ps. XXXIV, 8.

Castrametatur angelus Domini circa timentes eum :_‘ *ut eos eripiat* ⊤:

Ps. CXXXVII, 5.

Si oblitus ero tui o Jerusalem :_‘ *oblivioni tradatur dextra mea* ⊤:

Ps. XXIX, 7.

Vox Domini cadit :_‘ *flammas ignis* ⊤:

Conf. Pſ. IV, 1. V, 1. VIII, 1. Pſ. XXII, 1. LXV, 8. LXIX, 32. Pſ. XVIII, 2. Prov. I, 10. XXIV, 10. Pſ. VI, 1. XXV, 1. XXVII, 13. XXX, 1.

§. VI.

Merca Mahpachatus quandoque dividitur, & *Mahpach* priori voci, *Merca*, vero ſequenti additur, conf. cap. X. §. 3. v. g.

Pſ. I, 3.

עַל־פַּלְגֵי־מָיִם

Ad| rivos aquarum.

Sic Pſ. CXXVII, 1. XXXI, 19.

§. VII.

Membrum Silluki quandoque arctius cum ſequenti verſu cohæret, quam cum antecedenti membro Atnachi. v. g.

Pſ. XCV, 7. 8.

7. *Quia ille eſt Deus noſter & nos populus paſcui ejus & grex manus ejus Hodie ſi voci ejus auſcultaveritis :*

8. *Ne obdurate cor veſtrum ſicut in Me-*

riba ֑ *ficut in die tentationis in deserto* ׃

Silluk equidem versum, sed non semper sensum finit. Ideo Paulus Hebr. III, 8. ultimum membrum Silluki ex vers. 7. cum sequenti versu conjunxit: *Quapropter, sicut dicit Spiritus ille sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, sicut in acerbatione, in die tentationis illius in deserto &c.* quæ ex versione LXX. senum allegantur. Non ergo opus fuisset, ut Cl. Grabe Tom. ultimo Cod. Alexandr. Prolegom. cap. II. LXX. senum distinctionem codici hebræo prætulisset. Plures enim versus dantur, quorum ultima membra cum sequenti versu in interpretatione conjungenda sunt, licet ab Auctore accentuum Silluko sint distincta. v. g. Prov. VI, 12. 13. Pf. XVI, 3. 4. XXVI, 8. 9. & 12. 13. Pf. XXIX, 5. 6. XXXI, 8. 9.

§. VIII.

Quamvis vero membrum ֑ Silluki quandoque arctius cohæreat cum sequentis versus membro, non tamen permissum est interpreti, ut unam vel duas voces ex sequenti versu abripiat, & antece-

 denti

denti verſui addat, quod Hieron. & LXX. ſenes quandoque fecerunt, exemplari accentibus diſtincto deſtituti. v. g.

Pſ. XLII, 4.

הוֹחִילִי לֵאלֹהִים כִּי־עוֹד אוֹדֶנּוּ יְשׁוּעוֹת פָּנָיו׃

Spera in Deum nam adhuc celebrabo eum & ſalutes faciei ejus.

Ubi LXX. & Hieron. ex ſequenti verſu vocem אֱלֹהַי *Deus mi* abripiunt, & noſtro verſui addunt, uti infra videbimus.

CAP. XII.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI MERCÆ MAHPACHATI IN MEMBRA MAJORA.

§. I.

Membrum *Merca Mahpachati* quan-

quandoque in duo, aut tria, aut plura membra minora subdividitur.

Si in duo, in penultimo ponitur ~ *Sarka*, quandoque ∴ *Rbbia*.

Si in tria, in primo magis distincto ponitur ∴ *Rbbia*, raro ~ *Sarka*, in penultimo itidem ∴ vel ~

Si in quatuor, in primo magis distincto ponitur · *Rbbia*, in secundo & *penultimo* · *Rbbia*, vel ~ *Sarka*.

Si in quinque membra minora dividitur, in primo ponitur · *Rbbia*, & in quibusdam codic. ~ *Sarka*, in secundo minus distincto · *Rbbia*, in tertio ~, in quarto minus quam antecedentes distincto · *Rbbia*.

Tabula hujus membri.



Exempla.

Ps. II, 7.

אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק

Enarrabo | *de statuto.*

Conf. Ps. XXVII, v. 14.

Pſ. V, 11.

הַאֲשִׁימֵם אֱלֹהִים יִפְּלוּ מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם

Devaſta eos o Deus || cadant | a conſiliis ſuis.

Pſ. I, 3.

וְהָיָה כְּעֵץ שָׁתוּל עַל־פַּלְגֵי־מָיִם

Et erit || ſicut arbor | plantata ad rivos aquarum.

Pſ. XIII, 6.

וַאֲנִי בְּחַסְדְּךָ בָטַחְתִּי יָגֵל לִבִּי בִּישׁוּעָתֶךָ

Et ego in miſericordiam tuam confidi || exultabit cor meum | ob ſalutem tuam.

Pſ. XVII, 14.

מִמְתִים יָדְךָ יְהוָה מִמְתִים מֵחֶלֶד חֶלְקָם
בַּחַיִּים וּצְפוּנְךָ תְּמַלֵּא בִטְנָם

A viris manus tuæ Domine, a viris de tempore ||| quorum pars eſt in hac iſta || theſauro tuo | implere ſoles ventrem eorum. (h. e. quorum ventrem theſauro tuo implere ſoles.)

Pſ. XLII, 5.

אֵלֶּה אֶזְכְּרָה וְאֶשְׁפְּכָה עָלַי נַפְשִׁי כִּי
אֶעֱבֹר בַּסָּךְ אֶדַּדֵּם עַד־בֵּית אֱלֹהִים

Ho-

Horum recordabor & effundam |||| super me, o anima mea ||| quod transibo in operimentum Sabbathi || & praibo eis | usque ad domum Domini.

De operimento Sabbathi conf. II. Reg. XVI, 18. Intelligendus est locus, in quo custodes vices mutarunt, uti annotat Nobil. Flam. ad h. l. ex eo enim in templum ingressi sunt.

§. II.

Servi in membro Mercæ Mahpachati usitati sunt sequentes.

Pſ. V, 11. in voce longiori.

Pſ. V, 11. Pſ. I, 3.

Pſ. LVI, 9. Pſ. VIII, 3.

Pſ. XV, 5. plerumque cum Rbhia præcedit.

Pſ. XXIV, 8.

Pſ. XXX, 8. in Bibliis Anglicanis.

CAP.

CAP. XIII.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI ATNACHI.

§. I.

Membrum *Atnachi*, vel uno, vel duobus, vel tribus, vel rariſſime quatuor minoribus membris abſolvitur.

Si uno, *Atnachus* reliquas voces ſibi annectit per Conjunctivos.


Si duobus, *Atnachus* in *penultimo* membro ponit *Tiphcham* vel *Pſik Schalſcheletum* Pſ. LXXII, 3. Prov. VI, 27. Prov. I, 9. vel *Rbbiam* Pſ. II, 2. Pſ. I, 3. Pſ. V, 3. Pſ. III, 8. vel *Paſerum* Pſ. XLV, 8. Pſ. CIX, 16.

Si tribus, Atnachus in *primo* membro magis diſtincto ponit *Rbbiam*, Pſ. II, 8. III, 8. V, 4. in *penultimo* minus diſtincto *Tiphcham*.

Si

Si quatuor, quod rarissimum, *Atnachus* in *primo* membro magis distincto ponit __·__ *Rbbiam*, in *secundo* minus distincto eundem __·__ *Rbbiam*, in *penultimo* denuo minus distincto ∴ Tiphcham.

Tabula hujus membri.



Exempla.

Ps. VIII, 7.

תַּמְשִׁילֵהוּ בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ

Dominari facies eum | super opera manuum tuarum.

Prov. VI, 27.

הֲיַחְתֶּה אִישׁ אֵשׁ בְּחֵיקוֹ

Num accipiet vir | ignem in gremium suum.

Ps. CIX, 16.

וַיִּרְדֹּף אִישׁ־עָנִי וְאֶבְיוֹן

Sed persecutus est | virum afflictum & egenum.

Pſ. I, 3

אֲשֶׁר פִּרְיוֹ יִתֵּן בְּעִתּוֹ וְעָלֵהוּ לֹא־יִבּוֹל

Quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo | foliumque ejus non decidet.

Pſ. V, 4.

יְהוָה בֹּקֶר תִּשְׁמַע קוֹלִי

Domine || mane | audias vocem meam.

Pſ. XXXII, 5.

חַטָּאתִי אוֹדִיעֲךָ וַעֲוֺנִי לֹא־כִסִּיתִי אָמַרְתִּי
אוֹדֶה עֲלֵי פְשָׁעַי לַיהוָה

Peccavi, indicabo tibi, & peccatum meum non obtexi ||| dixi || confitebor peccata mea | Domino.

§. II.

Omnes ſervi ſerviunt ◌֑ Atnacho excepto ◌֪ Jerach & ◌֨ Kadma, quod ex ſequentibus apparebit.

◌֑ cum uno ſervo.

◌֑ ◌֣ | ◌֣ Pſ. XXII, 27. ◌֑ & ◌֣ Munach in eadem voce longiori. Sed in quibusdam exemplaribus loco ◌֣ eſt Me-

Metheg. Sic Job. XXVII, 7. cap. XXIIX, 22.

Psſ. I, 1.

Psſ. LXVIII, 5.

Psſ. I, 3. abſente Tiphcha.

Psſ. LXV, 2. Psſ. LXXII, 3.

Psſ. LIII, 4. In voce, quæ tono nullam ſyllabam præmittit, & membrum inchoat.

Prov. VI, 27.

Cum duobus ſervis.

Psſ. XVIII, 16.

Prov. XII, 1.

Psſ. LXXIIX, 65. in aliis exemplaribus loco eſt

Psſ. XXXVII, 1.

Psſ. II, 4. 5. 11.

Psſ. LXXXVI, 6.

Psſ. XIV, 5.

Psſ. CXXXVIII, 1.

Cum tribus ſervis.

Psſ. II, 7.

Psſ. VI, 6. CXIII, 2. XXXIII, 9.

Psſ. CXLVI, 5.

Psſ. CXXXVI, 15. & CXLV, 3.

Psf. CII, 5.
Psf. LXXVIII, 24. & 27.
Psf. LXXXVI, 6. & CXIX, 19. ubi loco est Metheg.
Prov. II, 12. c. XXV, 9.

Cum quatuor servis.

Job. XXXVI, 5.
Psf. XXXII, 2.

CAP. XIV.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI RBHIÆ GERESCHATI VICARII ATNACHI IN MINORA.

§. I.

MEmbrum *Rbhiæ Gereſchati* occurrit in membro *Silluki*, & unum tantum membrum habet, quando *Atnach* in verſu reperitur. Hoc vero abſente, vel in duo, vel tria, vel quatuor minora membra dividitur.

Si

Si uno membro abſolvitur, præcedentes voces, ſi quæ adſunt, ſibi annectit per ſervos.


Si in duo dividitur abſente imponit *penultimo* plerumque *Tiphcham anteriorem*, quandoque *Rbbiam* Pſ. CXLVII, 20. vel *Pſik Schalſcheletum.* Pſalm. CXXXVII, 9. vel *Paſerem*, Prov. I, 10. Pſ. XXV, 1.

Si in tria dividitur, imponit *primo* magis diſtincto *Rbbiam*, *penultimo* minus diſtincto *Tiphcham anteriorem*, quandoque *Rbbiam.*

Si in quatuor dividitur, quod rariſſimum, imponit *primo* magis diſtincto *Rbbiam*, *ſecundo* minus diſtincto *Rbbiam* repetitum, *penultimo* denuo minus diſtincto *Tiphcham* anteriorem.

NB. *Rbbia Gereſchatus*, quandoque ſuum *Gereſch* amittit.

Tabula hujus membri.



Exempla.

Pſ. II, 1.

וּלְאֻמִּים יֶהְגּוּ־רִיק׃

Et populi — *meditari ſolent vanum* :

Pſ. XXVII, 4.

לַחֲזוֹת בְּנֹעַם־יְהוָה

Ad videndum ſuavitatem Domini.

Pſ. IV, 5.

אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם עַל־מִשְׁכַּבְכֶם

Perpendite in cordibus veſtris | ſuper ſtratis veſtris.

Pſ. CXV, 18.

וַאֲנַחְנוּ נְבָרֵךְ יָהּ מֵעַתָּה וְעַד־עוֹלָם׃

Nos vero benedicamus Domino | ex nunc & in æternum.

Sic Pſ. CXIII, 9.

Job. X, 22.

אֶרֶץ עֵפָתָה כְּמוֹ־אֹפֶל צַלְמָוֶת וְלֹא־סְדָרִים

Ad terram obſcuritatis, quæ ſicut caligo eſt

est || *ad umbram mortis* | *quæ sine stellarum ordinibus.*

Conf. Ps. LXVIII, 36.

Job. XXXIII, 27.

יָשֹׁר ׀ עַל-אֲנָשִׁים וַיֹּאמֶר חָטָאתִי וְיָשָׁר
הֶעֱוֵיתִי ׃

Respiciet ad homines ||| *& dicet* || *peccavi* | *& rectum perverti.*

§. II.

Servi in membro ⌄ usitati sunt seqnentes.

⌄ cum uno Servo.

- Ps. I, 1.
- Ps. LXVIII, 36.
- Ps. XVIII, 51.
- Prov. I, 10.
- Ps. LXXIX, 3.
- Ps. CXXXVII, 9.
- Ps. CIX, 28. in voce, quæ tono nullam syllabam præmittit, & membrum inchoat,

Pſ. CXVI, 4. ubi in ſyllaba compoſita.

cum duobus Servis.

Pſ. XXXI, 6.

Pſ. LV, 4. & XXVII, 4. ſecundum quosdam Codices, ſed alii penultimam vocem annectunt per Makkoph.

cum tribus Servis.

Pſ. LXVI, 20.

Pſ. CXIX, 52.

cum quatuor Servis.

Pſ. XVIII, 1.

CAP.

CAP. XV.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI :— SILLUKI IN MINORA.

§. I.

SI membrum — Silluki uno tantum membro absolvitur, reliquæ voces annectuntur per Conjunctivos.

Si membrum :— Silluki in duo membra dividitur, penultimum accipit plerumque — Rbbiam Gereschatum, vel — Psik Schalschelatum, raro Pf. CXXV, 3. vel — Paserem raro, Pf. XXX, 1.

Tabula hujus membri.

Exempla.

Pſ. I, 1.

וּבְמוֹשַׁב לֵצִים לֹא יָשָׁב׃

Et in conſeſſu irriſorum | non ſedit.

Job. XL, 23.

יִבְטַח׀ כִּי־יָגִיחַ יַרְדֵּן אֶל־פִּיהוּ׃

Confidet | quando tendet Jordan ad os ejus.

Pſ. XIIX, 2.

וַיֹּאמַר אֶרְחָמְךָ יְהוָה חִזְקִי׃

Et dixit | diligam te Domine robur meum.

§. II.

Si vocem :ֽ *Silluki* una, duæ, pluresque voces antecedunt, quæ commode conjunctim legi poſſunt, annectuntur per ſervos.

:ֽ cum uno ſervo.

Pſ. CXIX. Si tonum una aut plures ſyllabæ præcedunt.

Pſ. LIV, 9. Si tonum nulla ſyllaba præcedat.

Pſ. X, 3. 5.

cum duobus ſervis.

Pſ. III, 5.
Pſal. LXXXIX, 3. Job. XXXVII, 12.
Pſ. XIIX, 2.
Pſ. CXL, 6.

Job. XII, 19. in quibusdam exemplaribus eſt Metheg loco Pſ. LI, 11. Pſal. LXXVII, 13.

Pſ. III, 5.
Pſ. LXVII, 5. Pſ. XIII, 2.
Pſ. XVIII, 2.
Pſ. LXXIX, 1.

Pſ. XIIX, 20.

Pſ. III, 3. LXXXI, 1.

Pſ. X, 14. Pſ. XCVIII, 16.

Pſ. LXXVIII, 20.

Prov. VIII, 13.

cum tribus Servis.

Pſ. LIV, 8. Pſal. XXIIX, 8.

Ps. IV, 8.

Job. XXII, 12. Ps. XXV, 16. XXXIII, 22.

Ps. CXLVI, 3. Sed in quibusdam Exemplaribus loco est

Ps. CXXV, 3.

cum quatuor Servis.

Ps. XXXII, 5.

Ps. LIV, 5.

CAP. XVI.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI TIPHCHÆ ANTERIORIS.

§. I.

Tiphcha anterior occurrit in membro majori Atnachi, & hoc absente

ſente in membro _·_‹ Rbhiæ Gereſchati, quandoque in duo membra minora ſubdividitur & penultimo imponitur _ᵘ Paſer, quandoque præcedentes voces ſibi annectit per ſervos.

Tabula hujus membri.

‹ _ | _ᵘ_

Exempla.

Pſ. XLV, 13.

וּבַת־צֹר בְּמִנְחָה פָּנַיִךְ יְחַלּוּ

Et quævis Filia Tyri cum munere || facies tuas deprecabitur.

Pſ. XII, 5.

אֲשֶׁר אָמְרוּ לִלְשֹׁנֵנוּ נַגְבִּיר שְׂפָתֵינוּ אִתָּנוּ

Qui dicunt | linguæ noſtræ robur dabimus || labia noſtra nobiscum ſunt.

Pſ. IV, 3.

בְּנֵי־אִישׁ עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה
תֶּאֱהָבוּן רִיק

Filii hominis | quamdiu gloria mea erit in ignominiam || quamdiu amare vultis vanitatem.

§. II.

Conjunctivi in membro usitati.

cum uno Conjunctivo.

Psf. XIV, 6. Psf. I, 1.

Psf. V, 12. Psf. XXXVIII, 5.

Psf. XLV, 13. in membro duarum vocum

cum duobus Servis.

Prov. XI, 26. 27. Sed in aliis exemplaribus est tantum

Psf. CXIII, 1.

Psf. XIV, 1.

Psf. XXXVII 1. Psf. I, 5.

Psf. XXXV, 1.

Psf. IV, 3. in quibusdam exemplaribus est in aliis

Psf. CXVIII, 25.

cum tribus Servis.

Psf. XII, 5. Psf. XLIII, 3.

Psf. LXV, 6.

Pſ. IX, 14. Sed loco in aliis exemplaribus eſt Rbhia.

Pſ. XXIII, 6.

cum quatuor Servis.

Job. XXV, 15.

CAP. XVII.

DE
SUBDIVISIONE
MEMBRI SARKÆ.

§. I.

SArka occurrit in membro , & quandoque antecedentes voces annectit per Servos; quandoque vero, ſi membrum ejus in duo minora ſubdiſtinguitur, penultimum accipit Paſerem.

Tabula hujus membri.

Ex-

Exempla.

Pſ. XVI.

מִי יִתֵּן מִצִּיּוֹן

Quis dabit ex Zione.

Pſ. V, 10.

כִּי אֵין בְּפִיהוּ נְכוֹנָה

Quia non eſt in ore ejus|| firmum quid.

Pſ. X, 14.

רָאִתָה ׀ כִּי־אַתָּה עָמָל וָכַעַס ׀ תַּבִּיט

Vidiſti | nam tu laborem & indignationem adſpicere ſoles.

§. II.

Servi in membro Sarkæ uſitati ſunt ſequentes.

cum uno ſervo.

Pſ. IV, 9.

Pſ. XXXIX, 13. Pſ. XXXI, 12. in membro duarum vocum.

Pſ. XII, 3.

Pſ. IV, 7. In voce, quæ tono nullam ſyllabam præmittit.

cum duobus Servis.

Psf. LXVIII, 21.

Psf. I, 1.

Psf. VII, 10.

Psf. XXIV, 10.

Psf. IX, 17. in quibusdam Exemplaribus loco est Merca.

Psf. XIV, 7. Job. XXXI, 7. Psal. LIII, 7.

cum tribus Servis.

Psf. X, 14.

cum quatuor Servis.

Psf. XL. 6. Sed alii in tertia voce loco legunt

CAP.

CAP. XVIII.

DE SUBDIVISIONE MEMBRI RBHIÆ SIMPLICIS.

§. I.

RBhia ſimplex, quem , & hoc abſente in membris ſuis minoribus diſtinguendis ponunt, quandoque reliquas voces, ad ſuum membrum pertinentes, ſibi annectit per Servos.

Quandoque ſi diſtinctio una in ejus membro requiratur, ponit Paſerem, ſi duæ diſtinctiones requirantur, primæ imponit Paſerem, & in penultima repetit eundem.

Tabula hujus membri.

Exem-

Exempla.

Psſ. V, 3.

הַקְשִׁיבָה ׀ לְקוֹל שַׁוְעִי

Attende ad vocem clamoris mei.

Psſ. IV, 2.

בְּקָרְאִי עֲנֵנִי ׀ אֱלֹהֵי צִדְקִי

Quando invoco ego | reſponde mihi o Deus Juſtitiæ meæ.

Prov. XXX, 4.

מִי עָלָה־שָׁמַיִם ׀ וַיֵּרַד מִי אָסַף־רוּחַ ׀
בְּחָפְנָיו מִי צָרַר־מַיִם ׀ בַּשִּׂמְלָה

Quis aſcendit in cœlum, & deſcendit? || quis collegit Spiritum pugillis ſuis? | quis colligavit aquas veſte ſua?

Servi ─̇ Rbhiæ.

─̇ cum uno Servo.

─̇ ─̗ Psſ. I, 1. Psſ. XXXI, 24. in plurimis locis ut merito pro ordinario habeatur.

─̇ ׀─̖ Psſ. II, 8.

Pſ. VI, 7.

Pſ. XI, 2.

Pſ. II, 2. Pſ. V, 11. in membro duarum vocum.

cum duobus Servis.

Pſ. XXXV, 20.

Pſ. L, 3. Pſ. LXVIII, 36.

Pſ. I, 2.

Pſ. XXVI, 1.

Pſ. CX, 1.

Pſ. II, 12.

Pſ. V, 3.

Pſ. IV, 2. Job, XIX, 12.

Pſ. XX, 6. in voce longiori.

cum tribus Servis.

Pſ. LXXVI, 14.

Pſ. XC, 17.

Pſ. III, 8.

Pſ. L, 16.

Job. XXXIV, 29. Pſ. XCII, 8.

Pſ. I, 3. Pſ. XXXV, 13.

Pſ. CXLIV, 1. Prov. XXIV, 31.

Pſ. XLIX, 15.

Pſ. XLII, 9. loco in aliis exemplaribus eſt ſed falſo.

Pſ. LXVIII, 7.

Pſ. XCII, 10.

cum quatuor Servis.

Pſ. LV, 24.

CAP. XIX.

DE MEMBRO PSIK SCHALSCHELATI.

§. I.

Psik Schalſchelatus occurrit in membro : Sillnki & Atnachi, loco

loco Rbhiæ Gereschati, & Atnacho absente in membro Rbhiæ Gerescha-ti, ut & in membro Mercæ Mahpa-chati loco Rbhiæ simplicis, & paucas tantum voces sibi per conjunctivos an-nectit.

cum uno Servo.

Ps. III, 3. in quibusdam ex-emplaribus loco Mah-pach est Munach.

Ps. CXXXVII, 3.

Ps. LXIIX, 15.

Ps. LXXXIX, 2.

Job. XXXVII, 12.

cum duobus Servis.

Job. XXXII, 6.

Prov. I, 9.

Ps. LXV, 2.

CAP. XX.

DE MEMBRO PASERIS.

§. I.

Paser in membro : , , , occurrit, membraque accentuum majorum inchoat, adeoque paucas tantum voces antecedentes sibi per conjunctivos annectit.

cum uno Servo.

Ps. XXXII, 5. Sed in quibusdam Codicibus loco est

Ps. LXV. 10. Sed in quibusdam Exemplaribus loco ponitur

Ps. CXLVI, 1. Sed in quibusd. Exemplaribus vox secunda connectitur per Makkeph.

cum

cum duobus servis.

Ps. CXLVIII, 14. Ps. CIV, 35. Ps. XXX, 4.

Ps. V, 10.

Ps. V, 12.

Ps. XIII, 3.

Ps. XLIV, 4. Ps. XLIX, 4. Psal. LXXV, 9.

cum tribus Servis.

Ps. XXII, 25. in aliis exemplaribus loco est .

Ps. XC, 10. sed Codices variant.

Prov. VI, 3.

Ibid. secundum alios Codices.

Ps. VII, 6. Ps. XXXIX, 13. Sed loco legitur .

Ps. XXII, 25.

CAP. XXI.

DE PECULIARIBUS QUIBUSDAM MODIS, IN LECTIONE LIBRORUM METRICORUM OBSERVANDIS.

§. I.

PEculiares modi in libris prosaicis supra observati, etiam in libris metricis quandoque occurrunt, ut eas h. l. repetere supervacaneum sit; Placuit tamen quosdam legendi modos subjicere, eos imprimis, quos in metricorum lectione ubique obvios habemus. De titulis Psalmorum notandum est, quod, licet quoad sensum maxime distinguendi sint, eos tamen accentuum Auctor sequenti membro in lectione adjunxerit. v. g.

Ps. XXVI, 1.

לְדָוִד ׀ שָׁפְטֵנִי יְהוָה כִּי אֲנִי בְּתֻמִּי הָלַכְתִּי

Davidi | judica me Domine || quia ego in integritate mea ambulavi —

Titulus לדוד sive *Davidi inspiratum canticum*, sive *Davidis canticum*, vertas, distinguenda est vox a sequenti membro. Sed Auctor accentuum hanc vocem sequenti membro annectit commodioris lectionis gratia, eamque Psiko tantum distinxit. Conf. Ps. XXXV, 1. Ps. XXXVII, 1. LXXII, 1. CIII, 1. CVI, 1. &c.

§. II.

Vox סֶלָה plerumque antecedenti membro annectitur, quam tamen logicum dictamen maxime distinguit. v.g.

Ps. IV, 5.

אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם עַל־מִשְׁכַּבְכֶם וְדֹמּוּ סֶלָה׃

Perpendite in cordibus vestris | super lectis vestris || & silete Sela —

Vox סלה connexa est cum antecedenti ודמו *& silete*, licet non cohæreant. Sic Ps. XXI, 3. Ps. XXIX, 6. XLVII, 5. LXVI, 15. &c.

De

De hac voce multa scripserunt Philologi, quorum sententias hoc loco referre nimis prolixum foret. Dicam tantum, quid de ea sentiam. Vox illa difficulter deducitur a סלל *exaltavit*, quia Dagesch forte deest, quare malo eam a סלא vel סלה cum ה, uti Job. XXVIII,16. extat, derivare. סלא in Pyal significat *æstimatus est*, ergo in Kal significat *æstimavit*; uti a צלע est צֶלַע *costa*, sic a סלה venit סֶלָה *æstimatio*, *consideratio*, *observatio alicujus rei*. Uti itaque quibusdam versibus subjicitur אָמֵן *veritas*, sensusque est: *fiat hoc*; sic etiam annectitur סֶלָה, ut sensus sit: *æstimetur*, *consideretur hoc*. Huc mihi respexisse videntur LXX, qui vertunt διάψαλμα, quam vocem alii diversimode vertunt. Sed placet mihi Suidæ explicatio, qui eam μέλους ἐναλλαγὴν, *diversitatem cantus* interpretatur. Videtur enim quoties vox סלה occurrit, toties instrumenta Musica siluisse, ut auditores submissa voce versum repetere, attentius considerare & æstimare potuerint. Sic in cantu ἐναλλαγὴ & diversitas facta est, & διάψαλμα. Quod alii סלה pausam in cantu esse existiment, mihi non obest,

sed

ſed potius mentem meam confirmat. Muſica enim inſtrumenta in verſus repetitione tacuiſſe exiſtimo.

§. III.

Porro notandum eſt, quod in libris metricis plures concurrant ſervi, quam in Proſaicis; quia vero omnes voces ſervis notatæ conjunctim lectæ ſunt, uti ſupra in Accentuatione Proſaica prolixe oſtenſum, ſequitur, quod earum nexus vel diſtinctio Grammatica ex accentibus non cognoſci poſſit. Quare illæ voces conjunctim legendæ, & ſenſu contextui reliquisque accentibus diſtinctivis convenienti vertendæ ſunt. Ut plurimum tamen ubi Pſik & ֝ Kadma occurrit, voces in lectione magis diſtinguuntur, quam in reliquis ſervis. v. g.

Pſ. XXXII. 2

אַשְׁרֵי־אָדָם לֹא יַחְשֹׁב יְהוָה לוֹ עָוֺן

Beatus vir | cui non imputabit Dominus peccatum

Qua-

Quatuor voces breviores connexæ sunt servis, quarum nexus Grammaticus non patet ex accentibus, sed quia unius membri sensum complent, absque difficultate vertuntur.

Sic Ps. LIV, 5.

לֹא שָׂמוּ אֱלֹהִים לְנֶגְדָּם סֶלָה׃

Non posuerunt DEUM sibi e regione Sela.

Sic Ps. XXXII, 5.

וְאַתָּה ׀ נָשָׂאתָ עֲוֺן חַטָּאתִי סֶלָה׃

Es tu ׀ abstulisti pœnam peccati mei Sela

In ׀ אַתָּה est ◌֣ & Psik, ideoque in lectione distinguendum est.

CAP. XXII.

DE COMPENDIARIA METHODO LEGENDI ET VERTENDI SCRIPTURAM V. T. SECUNDUM ACCENTUS

§. I.

IN gratiam lectorum codicis hebræi, subjungam compendiariam methodum, qua illi tamdiu uti possunt, donec accentuum consecutionem memoriæ impresserint firmiter. Quæ enim supra fuse sunt tractata, lectori non semper evolvere vacat, sed præstat uno quasi intuitu intueri, quæ ad cujusvis versus interpretationem sunt necessaria.


§. II.

Versus per ֑, ֔ & ֒ divisus vertendus est, ut tres distinctiones majores in iisdem vocibus, quæ illis accentibus signatæ

gnatæ ſunt, admittat. Si per & diſtinctus eſt, duas quoque diſtinctiones verſio admittat. Si & abſint, tantum ſubdiſtinctivi Silluki obſervantur.

§. III.

Hi tres Diſtinctivi ſuos habent ſubdiſtinctivos majores, quos omnes hæc tabula exhibet.



&c. pro quandoque eſt


Sciendum itaque eſt, quod illa tria membra majora, ſi longiora ſunt, a Judæis in cantu chorali in varia minora membra diviſa, & diſtincte lecta ſint, quo lectoribus æque atque auditoribus ſenſus verſiculi evidenter pateat.

Porro advertendum eſt, quod illi ſubdiſtinctivi majores, in eodem membro repetiti, primo loco ſemper magis ſenſum diſtinguant, quam in ſecundo, & in ſecundo magis, quam in tertio & ſic porro, donec

donec tandem ultimus minus quam omnes antecedentes distinguat. Quam distinctivoram proportionum majori & minori lineolarum numero indicavi. Versio itaque talis adornanda erit, quæ in relectione ejusmodi distinctionum proportiones admittat in iisdem vocibus, in quibus accentus distinctivi apparent.

§. IV.

Si etiam hæc minora membra longiora sunt, eadem in denuo minora subdistinguuntur. Inde est, quod omnes jam enumerati accentus subdistinctivi majores suos habeant subdistinctivos minores, quos hæc tabula offert.




&c.

Hi enumerati ſubdiſtinctivi minores, iisdem diſtinctionum proportionibus per lineas indicatis, membra ſuorum diſtinctivorum majorum, qui in principio apparent, ſubdiſtinguunt. Verſio quoque ita inſtituenda eſt, ut easdem diſtinctionum proportiones in lectione admittat, ſi menti accentuatoris conveniens eſſe debeat.

§. V.

Reliquæ voces, quæ inter hos diſtinctivos poſitæ, nec accentibus diſtinctivis notatæ ſunt, in lectione vel cantu a Judæis conjunctim pronuntiatæ & ſervis notatæ ſunt. Quos vero ſinguli diſtinctivi ſervos ſibi præmittant ſequens tabula docebit:


&c.



Versio horum membrorum ita instituenda est, ut in voces, istis accentibus notatas, majores & minores distinctiones incidant.

§. VIII.

Si membra minora —, —, — longiora sunt, denuo vel semel vel bis subdistinguuntur per —, uti ex sequenti tabula apparet.



§. IX.

Quivis distinctivus & subdistinctivus ac-

accentus, vel unam, duas, aut plures voces sibi annectit per servos, quos supra prolixe adduximus. Supervacaneum esset, eos omnes h. l. repetere; lectorem potius ad prolixiorem tractationem remittimus, quia easdem tabulas hoc loco describere tædet. Interpres tantum observet, quod omnes voces, servis notatas, usque ad distinctivum proximum conjunctim legere & interpretari debeat, si versionem accentibus conformem desideret.

CAP. XXIII.

DE ABUSU ACCENTUUM.

§. I.

VArius est abusus, quem ignorantia veri accentuum usus peperit, qui studiose est detegendus, ne scripturæ interpretes offendant, & sensum amplectantur, quem accentuum Auctor Esra nun-

 quam

quam intendit. Kabbalæ doctores, Judæis æstumatissimi, uti in literis, sic quoque in accentibus multa mysteria quærunt. Sufficiat hic ex *Iggereth bateamim*, quam Medicus *Levi Horwiz* commentario illustravit, fol. 54. col. a. specimen attulisse, prolixe enim hoc argumentum tradere non videtur necessarium. מה ראו על ככה אנשי כנסת הגדולה מחברי סודות הטעמים להתחיל ולציין הזרק בתחיל' היושב בראשונה על כסא המלכות ולא הציעו בראש טעם אחר כמו יתיב פסיק ודומיהן · ויותר קשה מזה שהיה להם להתחיל בטפחא שהוא הטעם הראשון שבא בתורה תחת תיבת בראשית וטפחא הוא לשון פסוק (ספוק) וסוג טפחת השפים אלא שהייתה כוונתם בזאת הבר"כה המשפעת והמקבלת מברי"כה העליונה בר"כה בגמט' אר"ני בכי"כה בגמטריא אחית המשפיע בזרקא בגמטריא בר"כה: *Cur viri Synagogæ magnæ, qui collegerunt mysteria accentuum, in schemate, primo loco Surkam posuerunt, ut sedeat in principio, in throno regni, & cur non alium accentum.* v. g. *Jethib*, *Psik vel similem in principio posuerunt? Videtur*

tur enim convenientius, si schema accentuum incepissent cum Tiphcha, qui primus accentus est in Genesi sub voce Breschith. Praeterea Tiphcha habet significationem compressionis (ספוק) *uti dicitur:* dextera ejus compressit cœlos. *Sed respondetur, quod respexerint ad benedictionem effusam, quæ suum influxum accipit ex piscina superiori.* ברכה benedictio *enim per Gematr.* est ארני Dominus, בריכה piscina *per Gematr.* est אהיה ero, *effundens* בזרקא *cum* Sarka, hoc est, cum dispersione *per Gematriam* ברכ est benedictio. Rationem explicare vult Auctor Kabbalisticus, ob quam Auctores accentuum, h. e. Viri Synagogæ magnæ, in schemate accentuum, quod in Bibliis Jablonskii adductum est, primo loco ~ *Sarkam* posuerint. Eamque nullam aliam fuisse existimat, quam quod eo docere voluerint, quod Sephira *Malcuth*, quæ appellatur *benedictio*, recipiat influxum ab omnibus Sephiroth, & tandem peculiarem Sephiram constituat. Hoc deinde argumentis Kabbalisticis ex Gematria natis confirmat. ברכה *benedictio* enim, quæ alias מלכות *Malcuth regnum* Kabbalistis audit,

 com-

computatis literarum unitatibus, h. e. ut ב 2, ר 2, כ 2, ה 5, denotet, dabit XI, qui numerus etiam in אדני *Dominus*, si א 1, ד 4, נ 5, י 1. valet, reperitur, quo docetur, quod *benedictio* sit in mysterio Adonai, *Domini*, & ab omnibus Sephiroth influxum recipiat. בריכה *piscina vel confluxus*, per Gematriam valet XII, literis eodem modo computatis, ut ב 2, ר 2, י, 1. כ 2, ה 5, valeat, qui numerus etiam in אהיה *ero*, si א 1, ה 5, י 1, ה 5, valere jubeas. אהיה *ero*, vero est *Corona*, quæ & בריכה *confluxus* appellatur. Effusio vero illa fit בזרקא cum *Sarka*, *dispersione*, quia זרקא *Sarka* valet XI, ז enim 7, ר 2, ק, 1, א 1, notat, qui numerus etiam in ברכה *benedictio*, h. e. *Malcuth* invenitur. Mens tandem eo redit, quod Esra virique Synagogæ magnæ, per ֮ *Sarkam*, cui primum in accentuum ordine dederunt locum, docere voluerint, quod per ֮ *Sarkam dispersionem*, DEUS emanationem suam effundat in regnum. Sed hæc recitasse est refutasse, Esra enim ejusque asseclæ, qui distinctæ lectionis gratia, accentus codici hebræo addiderunt, de hoc ne per somnium quidem cogi-

tarunt. Omnia itaque hæc, aliaque similia, quæ in eodem vel aliis hujus generis libris leguntur, genuina sunt phantasiæ soboles.

§. II.

Abusum accentuum etiam observavi in Disputatione Homilii, Anno 1671. habita, qui cum oraculum Jeremiæ cap. XXXI. v. 21. explicasset, tandem etiam ostendit, quæ porismata ex accentibus erui possint. Apponam locum quo mentem penitius inspicere possimus.

כִּי־בָרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה
תְּסוֹבֵב גָּבֶר׃

Nam creavit Dominus novum | in terra | | fœmina circumdabit | virum ‾ı‾ Ex accentibus hujus versus hæc porismata eruit. Accentus *minister Kadma* in voce ברא est tonicus supremus, idemque significat, ac antecedens. En Messias incarnatus, qui non venit, ut sibi *ministraretur*, sed ut ipse *ministraret*, Matth. XX, 28. etiamsi conceptus sit a Θεοτόκῳ, est tamen simul Dominus de cœlo 1. Cor. XV, 47. His alludit ad Kadmam qui est *minister* vel *servus* inter ac-

accentus. Deinde pergit & alludit etiam ad vocis etymologiam, *Kadma* enim est *antecessor*. Duplex est Messiæ nativitas, una ab æterno, altera in tempore. En accentum *Kadma* cui nomen est, ab *antecedendo*. Porro quia in voce יהוה est *Mahpach Conversor*, qui cantum submissum & subsistentem notat, putat alludi ad נהפך *conversum est*. En Deus iratus, pergit, lapsui & apostasiæ Adami; ob conceptionem universumque Christi meritum in paterna hæc erumpit verba, נהפך *conversum est* in me cor meum, non faciam furorem iræ meæ &c. Ulterius occasione *Paschta extensoris*, qui est in חרשה hæc subjicit En *paschta* hic Spir. S. imperat, ut memoriam novi illius conceptionis Messiæ *extendamus, pertrahamus* usque ad extremum vitæ nostræ halitum &c. *Sakeph Katon, Erector parvus*, qui in בארץ conspicitur, ipsi videtur intimare, quod vox illa *minus elata* voce canenda sit, quia in terra nil nisi lacrymæ, singultus, ejulatus sunt, ubi vox non erigitur. Deinde pergit. Est JESUS in hac terra quasi *Sakeph Katon erector minor*, qui nos non plene liberat ab omni malo: sumus enim

adhuc

adhuc subjecti morbis & morti, aliisque miseriis; sed in cœlo erit quasi *Sakeph Gadol Erector magnus*, qui nos omnino eriget, & liberabit ab omni malo. Eodem modo ex *Tiphcha*, qui *submissæ vocis* est accentus, & in נְקֵבָה *fœmina* ponitur, hæc ipsi nata est meditatio, quod Maria Deipara, regio quidem stemmati natales debeat, sed *submisso* admodum & quasi *fesso* ac *quiescenti*. Sic quoque Merca *servus* in תְּסֹבֵב *circumdabit* ipsi meditationem suggessit. En Maria, inquit, est *ancilla* Domini, nihilque contulit ad opus incarnationis, quod solius DEI est opus Luc. I, 38. &c. Silluk denique *imperator* distinctivus *finalis* in voce גָּבֶר *virum*, intimat, quod גבר noster *regius* incarnatus sit circa קץ עת *tempus termini*, circa vesperam mundi, &c. Hæc aliaque plura in allegata disputatione leguntur, sed firmiter persuasus sum, quod ab Auctore Accentuum non sint intenta. Si enim ille tantum distinctam vocum lectionem accentibus docere voluit, quod supra fuse probatum, non capio, quomodo mysteria hæc in accentibus lateant, vereorque me Scripturæ sacræ jure obscuri-

 tatis

tatis accuſetur, quæ tanta exhibet myſteria, ſub obſcuris accentuum apicibus. Ludere potius, quam ſeria agere videntur, qui ad talia dilabuntur myſteria ſub accentibus latentia.

§. III.

Abuſus etiam accentuum eſt, quando alii novi accentuum doctores ex ordine accentuum, mutuoque illorum reſpectu Trinitatis myſterium demonſtrare audent. Factum hoc eſt occaſione oraculi Jeſaiani cap. IX. v. 5. nobis revelati

וַיִּקְרָא שְׁמוֹ פֶּלֶא יוֹעֵץ אֵל גִּבּוֹר אֲבִי־
עַד שַׂר־שָׁלוֹם׃

Quæ ſecundum accentuum poſitum ita vertere voluerunt. *Et appellabit nomen ejus* || *admirabilis* | *conſiliarius* ||| *DEUS fortis* |||| *patrem æternitatis*, *principem pacis* ׃ Exiſtimant, quod tres illi accentus ֔ *Sakeph Katon*, ֙ *Paſchta* & ֠ *Tliſcha Gedola* Tres Deitatis perſonas denotent, ita ut Pater, *Admirabilis*; Filius, *Conſiliarius*; & *Deus fortis*, Spiritus S. appelletur. Præterea negant cum Judæis & Socinianis, quod illa nomina competant

petant Messiæ, quod omnes Theologi hactenus defenderunt; sed potius dicunt, illa esse nomina Trinitatis appellantis, ut sensus sit: Patrem, filium & Spiritum S. appellasse Messiam, patrem æternitatis & principem pacis. Si rationem quæras, respondent Tlischam Gedolam in פֶּלֶא hoc docere, qui singulariter hoc loco esset positus. Nescio quæ vis argumento insit, ubi specialis positus accentus cujusdam est, ibi Trinitatis mysterium est absconditum. Vel ubi *Tlischa Gedola* specialiter ponitur, ibi est Trinitatis mysterium. Instant, nullibi in Scriptura S. *Tlischa Gedola* immediate antecedit *Paschtam*; sed quid inde, quis tam absone inferat, hoc fieri ob Trinitatis mysterium? Sæpius in Scriptura *Tlischa Gedola* antecedit *Paschtam* v. g. Jes. XXIX, 4. וְהָיָה כְּאוֹב מֵאֶרֶץ קוֹלֵךְ *Et erit sicut loquentis ex terra vox tua.* Sic quoque Num. IV, 7. *Et ponent super eam* (mensam) *scutellas & cochlearia* nulla hic latent mysteria. Excipiunt, in his locis inter *Tlischam Gadolam* & *Paschtam* intercedit servus *Mahpach*.

pach. Respondeo, quod hoc ideo fiat, quia inter illos accentus vox intercedit, quæ servo est notanda, in Jesaiæ vero loco, ejusmodi vox non prostat, ergo servus jure omittitur. Ubi enim nullæ voces servo notandæ prostant, servi omittuntur, quod in quavis scripturæ pagina evenire solet. Desistite itaque accentuum ignaris imponere, vestrisque novis mysteriis ex accentibus erutis vos aliosque decipere: rapitis enim Salvatori titulos, a Spiritu S. ipsi tributos. Nunc etiam ostendam, quod tria ista nomina, non appellantis, sed appellati Messiæ sint nomina. Notum est, quod Accentuum Auctor, formulas procemiales, quales sunt, *Et dixit*, *Et appellavit nomen ejus*, &c. sequenti membro annectat, & in ipso effato distinctionem majorem ponat, conf. supra cap. IX. §. 2. p. 122. Cum vero in nostro Jesaiæ loco verba: *Et appellabit nomen ejus*, exhibeant formulam procemialem, mirum non est, quod illa sequenti membro in lectione sint annexa, & major distinctio ׃ Sakepho indicata, in effatum, & quidem in vocem אֵ֣ל גִּבּ֔וֹר *Deus fortis*, sit rejecta. Cur quæso verba

ba illa hoc modo distincta nostrum sensum non admittant:

Et quivis vocabit eum || admirabilem | consiliarium ||| Deum fortem |||| patrem æternitatis | principem pacis ┬:

Quod enim ויקרא vel impersonaliter, *vocabitur*, vel personaliter, *quivis vocabit eum*, commode ex idiotismo linguæ vertatur, Glassius Phil. L. I. Tract. I. loco LIX. p. m. 142. contra Huntlæum prolixe docuit; ideo etiam LXX. vocem illam *καὶ καλεῖται* & *vocatur*, Chaldæus, ואתקרי שמיה & *appellabitur nomen ejus*, Vulgatus, & *vocabitur nomen ejus*, optime, ductu idiotismi frequentissimi, reddiderunt. Nec alii præterquam recentiores Judæi, Kimchi & Rasche, hoc oraculum de Hiskia explicant, adeoque nomen *DEI fortis*, ab illo removere debent, aliter explicuerunt.

CAP.

CAP. XXIV.

DE
DICTIS QVIBUSDAM PROSAICIS PER ACCENTUS EXPLICATIS.

§. I.

PRimus locus ex accentuum distinctionibus explicandus se nobis Geneseos IV. v. 7. offert, interpretibus vexatissimus. Apponam illum, quo eo felicius de ejus distinctionibus judicare possimus.

הֲלֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב
לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה
תִּמְשָׁל־בּוֹ׃

Nonne si benefeceris (sacrificium tuum) | prærogativa (tibi est) ||| si vero non benefeceris (sacrificium tuum) || ad ostium | pœnæ accubans (es) ⏉. Præterea ad te | est obsequium ejus (fratris tui) || & tu | dominaberis in eum ⏉.

Cau-

Cauſa hujus colloquii divini cum Kaino erat ira, qua hic erga fratrem accenſus erat. Cum enim Deus ſacrificium Caini adſpiceret, illudque fortaſſe igne de cœlo miſſo conſumeret, (vid. Bechai fol. 15. col. 4.) alterum vero Caini, tanto pietatis ardore non allatum contemneret, nec pari miraculo combureret, ægre Cainus tulit, culpaque in fratrem conjecta, ei ſuccenſuit. Iram Caini deſcripſit Moſes duplici phraſi, v. g. ויחר לקין מאד *& excanduit ira Caino valde*, ויפלו פניו *& ceciderunt facies ejus*. De priori nullum eſt dubium, poſteriorem vero diverſo ſenſu interpretes acceperunt. Fagius in Comment. in h. l. exiſtimat, quod *cadere vultus* dicatur, cum quis demiſſo capite triſtis incedit. Caſtalio autem eandem phraſin de invidia interpretatur, quæ tantum effecerit, ut vultus ejus macreſceret. Grotius tandem lapſum vultus, pro pudoris ſigno habuit. Salva tantorum virorum auctoritate, mihi phraſis illa, ex parallela explicanda videtur, quæ Jer. III, 12. legitur. Dicit Deus ad prophetam: *Vade & clama hæc verba ad aquilonem, & dic, revertimini refractarii Iſraelitæ, dicit*

Do-

Dominus, אל אפיל פני בכם *non cadere faciam faciem meam in vos*, h. e. non irascar in vos. Sic enim Jonathan interpretatur: *non immittam* רוגזי *furorem meum in vos*. Nec dissentiunt LXX. senes μὴ στηριῶ *non firmabo faciem meam super vos*. Nihil prohibet, quo minus eundem sensum in nostro loco admittamus, & vertamus: *& ceciderunt facies ejus nempe in Abelem*, h. e. vultu irato eum adspexit, ut sensus cum priori conveniat. Hanc iram maxime injustam Deus ferre non volebat, sed Cainum alloquitur v. 6. causam iræ sciscitans. *Cur irasceris?* Deinde v. 7. pergit in eodem alloquio, causamque benevolentiæ & iræ divinæ explicat, quod nimirum fidem & pietatem amor divinus sequatur, impietas vero indignationem & iram mereatur, eoque omnem a se προσωποληψίαν removet. Nonne si benefeceris, h. e. si pio animo sacrificium tuum offers, שאת prærogativa tibi est præ fratre, tuumque sacrificium igne comburitur, uti illud fratris tui, nec excellentia tua, quam tibi natura concessit, imminuitur sacrificio Abelis. Et si non benefeceris sacrificium tuum ad ostium

ostium pœnæ accumbis. Vox שאת ex נשא *extulit, elevavit*, non sine ratione excellentiam & prærogativam præ fratre denotat, quod eodem sensu Gen. XLIX, 3. recurrit. Quem sensum Onkelos ibi explicat vertens: *tu acceptur us es partes tres, primogenituram nempe sacerdotium & regnum*. Inde etiam est, quod R. Joseph Karo nostram sententiam amplectatur, & שאת per יתר שאת *prærogativam primogeniti* explicet. Vid. Toldos Jizchak fol. 16. col. 2. Naturæ enim sorte primogenitis prærogativa quædam præ reliquis fratribus competere videtur. Hanc itaque Cain sibi minui vel plane adimi existimavit, cum Abelem Deo magis acceptum esse ex sacrificii combustione cognosceret. Nunc sequuntur verba, quæ præ reliquis interpretes exercuerunt: *si non benefeceris* לפתח חטאת רבץ Drusius in Notis Major. Constructionem sensu congruam, non voce esse dicit, vertit enim, *ad ostium peccatum cubat*. Advertit vero חטאת fœmin. esse, רבץ vero masculinum, nec audit Hieron. qui in Quæst. in Genesin Hattath masculini gen. esse existimavit. Ut vero hoc grammaticum

ticum dubium tollat, vel enallagen generum, vel respectum ad חטא quod Masculin. est, admittendum, vel sensus rationem habendam esse, cum plurimis aliis decernit. Nolo aliorum sententias referre, quod plurimos cum Drusio sentire certum sit. Mihi necessarium non esse videtur, ut רבץ cum חטאת eo sensu construatur, si enim רבץ ad Cainum referamus, & חטאת in Dativo construamus, omnis difficultas sublata, sensusque contextui convenientissimus erit. *Tu Cain accubans es pœnæ ad ostium.* Nec est quod dicas רבץ significare *cubare* non vero *accubare*, simplicia enim apud Hebræos etiam composita connotare observavit Glass. L. III. Tract. III. Can. I. p. m. 742. Nec adeo dura est metaphora ab ostio tabernaculi cujusdam sumpta, & Caino optime nota. Uti enim פתח דברים *ostium verborum*, Ps. CXIX. v. 130. est locus ex quo verba egrediuntur, sic etiam פתח חטאת *ostium pœnæ*, est, locus ex quo pœna divina egreditur. Cubare ergo ad ostium pœnæ, vel accubare pœnæ ad ostium, sensu scripturæ erit *proximum esse pœnæ.* Quod חטאת tam peccatum,

quam

quam peccati pœnam denotet, multa scripturæ loca probant. Hoc sensu legitur Zachar. XIV, 19. Hæc erit חטאת *pœna Ægypti:* וחטאת *& pœna omnium gentium*, uti & עון tam *iniquitatem*, quam *pœnam* Gen. XV, 16. significat. Caino non ab hominibus, sed a Deo pœna metuenda erat, imo pœnam sibi imminere jam ex sacrificio suo, quod Deus non respexerat, cognoscere poterat; sed pravus ejus animus, culpam non in suum sacrificium, quod devotione decenti non attulerat, rejicit, sed potius in fratrem innocentem. Hæc enim est impiorum perversitas, ut infortuniorum causam non in seipsis, sed in aliis quærant. Ut vero Deus veram contempti sacrificii causam indicaret, dicit: *Si non benefeceris ad ostium pœnæ accubas.* Quasi dixisset, si impio animo sacrificium tuum affers, mereris pœnam, & in culpa es, quod tuum sacrificium igne non comburatur, & prærogativa pietatis fratri tuo cedat. Ex hoc cognoscis, quod causa spreti tui sacrificii, non frater, sed ipse sis. Postquam vero DEus veram spreti sacrificii causam indicaverat, in sequentibus etiam



fal-

ſam, quam Cain conceperat, removet. Hinc pergit: Fratrem tuum quod attinet, ille cedit tibi prærogativam, tibique obſequitur. Hoc enim volunt verba: ואליך תשוקתו *& ad te eſt obſequium ejus.* Ita verto hæc verba loco parallelo Gen. III, 16. inductus. Ubi DEUS ad Evam dicit ואל אישך תשוקתך *& ad virum tuum erit obſequium tuum*, והוא ימשל בך *& ille dominabitur tibi.* שוק propriè eſt *diſcurrere*, hinc Nah. II, 5. ישתקשקון *diſcurrent in plateis.* Inde Prov. VII, 8. שוק *platea, forum*, in quo diſcurrunt homines, & שוק *crus* inſtrumentum curſus, Ex. XXIX, 22. Si ad animum refertur, נפש שקקה *anima diſcurrens* eſt *anima appetens*, Jeſ. XXIX, 8. ſed ſignificatu improprio. Si inanimatis tribuatur, eſt facere procurrere h.e. redundare, Joel. IV, 13. *Torcularia* השיקו *fecerunt ut procurrat, & profluat vinum.* Ex his intelligitur quid ſit תשוקה nempe *curſitatio* alicujus circa aliquem, h. e. ſervitium & obſequium erga aliquem. LXX. ſenes vertunt ἀποστροφὴ *converſio alicujus ad aliquem.* Sic etiam Onkelos in Bibliis Regiis: *Et ad meritum tuum erit*

תיובתך

תיובתך *conversio tua.* Sensus ergo in utroque loco est, quod Eva Adamo, & Abel fratri suo servitium præstare debeat, ideoque in utroque dominium subjicitur, *ille dominabitur tibi*, & *tu dominaberis illi.* Valet ergo explicatio supra adducta, quod Deus Caino dixerit: Abelem caussam spreti sacrificii non esse, nec Caini prærogativam ullo modo imminuere, sed eum potius dominium Caini agnoscere, eique ministrare. Spectant huc quæ allegatus Jizchak Karo commentatur. *Apte etiam explicatur, quod DEUS dixerit: Quod tuum sacrificium non acceperim, non factum est propter sacrificium fratris tui, quod tuo multo præstantius est, ut cogitare posses quod Abel hoc fecerit, ut te rubore suffunderet, coram me, & ut se elevaret super te. Totus erras, promptus enim frater est, ut voluntatem tuam exequatur, hoc vult phrasis, & ad te est* תשוקתו, *ejus enim voluntas est, ut tibi serviat, utque tu domineris in eum, prout primogenitus dominatur super fratres suos. Tu es primogenitus, & ille etiam agnoscit primogenituram tuam, & dominium tuum in se.* Quia itaque hic sensus contextui, pro-

prietati vocum, regulis grammaticis & accentuum distinctionibus est conveniens, omnibus patere existimo, quod LXX. sensum non sint assecuti; vertunt illi: Ὀυκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. Πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. Qui equidem easdem literas, sed non easdem vocales, nec eosdem accentus, nec eandem vocum significationem expresserunt. Græcis enim hæc hebraica respondent: הֲלֹא אִם תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ וגו׳ Hoc est: *Nonne si benefeceris oblationem, & non benefeceris resolvere, peccasti, quiesce.* שאת illi deduxerunt a נשא tulit, attulit, obtulit, vertentes προσενέγκῃς, & תיטיב ὀρθῶς; לפתח transtulerunt διέλῃς, *dividere* enim & פתח *solvere* conveniunt. רבץ *cuba* ipsis est ἡσύχασον *quiesce.* Verte hanc interpretationem quomodocunque placuerit, nullum sensum textui convenientem habebis, quod mihi est judicio, LXX. senes sensum non esse assecutos. Nec Cl. Cler. qui LXX. senes ex parte sequitur, sensum exhausisse videtur,

ver-

vertens: *Nonne si bene te gesseris, dignitatem tueberis, si autem bene te non gesseris, peccatum ad fores, quiesce.* Eo ipso, quo accentus postposuit, errorem commisit. Dum enim LXX. Virorum vestigia premit & רֹבֵץ in רָבַץ commutat, idque a חטאת contra accentus, avellit, sensum obscurat. Non solum enim תיטיב in Hiphil male sonat intransive, sed & לפתח חטאת haud bene vertitur, *peccatum ad fores.* Si enim labium hebræum hæc enunciaret, rectius voces inverteret חטאת לפתח: Sic Prov. XXX, 15. מלך אין לארבה *Rex non est apud locustas.* Nec רבץ, quod proprie de pecude dicitur, in pascuo secure cubante, commode ad quietem transfertur, qua ira coercetur. Nec satis tuto in interpretatione interpretem sequimur, qui manifeste sensum verborum non penetravit. Merito itaque sensum apprehendimus, quem puncta & accentus suppeditant.

§. II.

Uti in difficilioribus locis accentuum distinctiones non nisi accurata & secundum præcepta instituta lectione intelligun-

guntur; sic in facilioribus non raro ex ipsa vocum structura accentuum vis cognoscitur:

Deut. XXXII, 8.

Cum hereditatem assignaret Altissimus | gentibus || cum distribueret | filios Adami ‾‸‾ constituere voluit | limites gentium || secundum numerum | filiorum Israel ‾ı‾:

Lectio ex vocum ordine, sed interpretatio ex antiquitate haurienda est. Sensus literalis est, quod DEus terram Canaan, antequam Israelitæ eam ingressi sunt, tot gentibus diviserit, quot numero fuerunt filii Israel. Filii Israel erant duodecim, in tot quoque portiones terra Canaan divisa est. Legimus enim Gen. X, 15. 16. 17. quod pater Canaan genuerit undecim filios, *Sidonem primogenitum, Chetum, Jebusæum, Emoræum, Girgasæum, Chivæum, Harkæum, Sinæum, Arvadæum, Zemaræum & Chamatæum*, qui undecim portiones terræ Canaan occuparunt, relicta patri duodecima. Ideo etiam ibidem additur: *Et postea distributæ sunt familiæ Cananæorum.* Notatu digna est observatio, quæ mihi ex collatione

ne LXX. versionis succurrit. Vertunt illi, ultima versus verba: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. *DEUS constituit terminos gentium secundum numerum angelorum DEI.* Ex quo cognoscimus, quod in codice hebræo loco בני ישראל legerint בני א׳ *filii DEI*, h. e. angeli. Mihi non videtur, quod Codex eorum h. l. corruptus fuit, sed quod Auctores hujus versionis potius receptæ inter Ægyptios sententiæ versionem suam accommodare voluerint. Ex Jamblicho enim de Ægyptiorum mysteriis cognoscimus, quod Ægyptii persuasi fuerunt, cuivis genti præpositum esse angelum aliquem, qui ejus curam gerat. Sic ille Sect. V. cap. XXV. p. 140. Καθ᾽ ἕκαστόν τε ἔθνος τὸ ἐπὶ γῆς διακεκλήρωταί τις ὑπ᾽ αὐτοῦ κοινὸς προστάτης. *Per cunctas in terra gentes numen aliquod sortitum est præfecturam communemque provinciam.* Patres qui LXX senum versione utebantur, locum nostrum eodem sensu acceperunt, uti prolixe probat Flam. Nobil. in Notis ad h. l. Sed Aquila & Symmachus errorem correxerunt, reddentes: κατὰ ἀριθμὸν υἱῶν ἰσραὴλ. Plura dabit Cl. Gale in Notis ad Jamblich. p. 197. Talmu-

mudistæ referunt Tract. Sopherim Cap. I. Halacha 8. שלשה עשר דברי׳ שינו בה quod illi interpretes, qui Regi Ptolomæo Pentateuchum interpretati sunt, tredecim loca mutaverint. Quamvis vero inter illa noster locus non adducatur, suspicio tamen non inanis erit, si dicamus, Auctores LXX. Versionis Ægyptiorum auribus hac versione aliquid dedisse. Impingere ergo videntur, qui in interpretationibus ubique LXX. sequuntur, qui studio in quibusdam locis Ægyptiis imposuerunt.

§. III.

Commodiorem & contextui convenientiorem sensum exhibent quoque accentus Jud. V, 14. quem locum neque a LXX. neque a Cl. Clerico recte translatum esse existimo. Verba secundum accentus versa ita sonant: *Quidam ex Ephraimo || cujus stirps (dominata est) in Amalek (sc. descenderunt ad bellum) ||| post te (Ephraim) Benjamin cum populo tuo, (o Ephraim descendit ad bellum.)* ⏜ *Ex Machir || ad bellum descenderunt magnates ||| & ex Sebulon legum periti.* Laudat

dat his verbis Debora viros fortes, qui ad bellum contra Siseram promto & forti animo ex monte Thabor descenderant, in eo enim Israelitæ convenerant uti patet ex Cap. IV. v. 6. In antecedenti versu dixerat: *Tunc dominatus est exiguus populus in illustrissimos populi, Dominus dominari voluit pro me per fortissimos viros.* Hos enarrat in nostro versiculo, cujus sensus est evidentissimus, si modo in duobus prioribus membris subintelligamus vocem ירדו *descenderunt ad bellum* in tertio membro positam. Sensus enim est: quosdam ex Ephraimitis, quorum radix Josua quondam pugnavit contra Amalekitas, descendisse ad bellum. Post vos Ephraimitas descenderunt etiam Benjamitæ, una cum populo tuo, o Ephraim. Ex Machiritis descenderunt ad bellum Optimates, & ex Sebulonitis literarum periti. In sequenti versu idem argumentum continuatur. *Princeps in Isaschar fuit cum Debora, & uti Isaschar, sic etiam Barak in vallem missus est cum militibus suis.* In voce מבני observatur י paragogicum, ut Jes. XXX, 11. quod ex Kimchio observavit *Ben Melech* in *Miclal Jophi,*

phi, ubi & punctationis rationem reddit. שרשם proprie denotare *radicem eorum* omni dubio caret, quod vero *stirpem eorum* vertam, metaphora jussit. Amalek est populus, qui primum contra Israelitas insurrexit, & bellum gessit, sed a Mose precante, & Josua pugnante devictus est, uti legitur Exod. XVII. Num. XXIV. Deut. XXV. Ps. LXXXII. Ephraim est tribus, ex qua Josua natales ducebat, uti ex 1. Chron. VIII. apparet. Verbum in hoc membro deest, ex sequentibus supplendum: verba enim sequentia frequenter etiam ad antecedentia referenda sunt. Vid. Glass. L. IV. Tract. II. Observ. XII. p. m. 1226. Est vero ירד *descendit*, quod in membro tertio occurrit, & in primo membro subintellectum, sensum parit aptissimum. Vox ירד proprie significat *descendere*, sed frequenter de *descensu ad bellum* usurpatur. V. g. Jud. I, 9. ירדו *descenderunt filii Juda ad pugnandum cum Cananaeis*. Sic quoque v. 36. Eadem vox in secundo membro est repetenda: Post te (o Ephraim) Benjamin (descendit) cum populo tuo (o Ephraim) Talem versionem postulat part. בְּ in בעמיך *in*

popu-

populo tuo. Quando enim ירד cum ב construitur, frequenter ב comitatum denotat. V. g. Exod. XXXIV, 5. Num. XI, 25. XII, 5. &c. וירד *& descendebat Dominus* בענן *in nube.* Mens itaque Deboræ est, quod Benjamitæ, qui Ephraimitarum vicini sunt, una cum illis descenderint contra Siseram. Machiritæ descendunt a Machir filio Manassis Gen. L. qui fortissimus miles fuit uti ex Jos. XVII. paret. מחקקים proprie sunt *sculptores*, qui leges æri, aliisque durioribus materiis incidunt, quo in perpetuam memoriam conserventur. Conf. Jes. XLIX, 16. & Jobi XIX, 23. 24. Deinde מחקק est *Dux bellicus* Græcis ἡγέμενος Gen. XLIX, 10. ἄρχων *princeps* Deut. XXXIII, 21. & Es. XXXIII, 22. βασιλεὺς *rex* Ps. LIX, 8. CVIII, 9. appellatus. In nostro quidem loco tam in Codice Romano, quam Alexandrino ἐξερευνῶντες vertuntur, sed nullus dubito, eosdem loco מחקקים legisse מחקרים *scrutantes*, a חקר *scrutatus est*, alibi enim & quidem Jud. XVIII, 2. II. Reg. X, 3. I. Paral. XIX, 3. ἐρευνάω & ἐξερευνάω hebræo חקר respondet. Rectius itaque Vulgatus h. l. *principes* vertit & Raschius *principes magnos* interpretatus est. Sententia ergo

De-

Deboræ huc redire videtur, ut dicat, principes ex Machiritis descendisse ad bellum cum Sisera suscipiendum. De tribu Sebulonitarum tandem dicit, quod descenderint *trahentes stylo scribæ.* LXX. vertunt in codice Romano ἕλκοντες ἐν ῥάβδῳ διηγήσεως γραμματέως *trahentes in virga narrationis scribæ.* Sed quia in Complutensi codice illud διηγήσεως abest, glossema textui insertum videtur. Targumista vertit: *scribentes calamo scribæ acuti.* כתבין בקולמוס דספר חר Descriptio *principis* esse, & cum מחקקים convenire videtur, hi enim leges populo præscripserunt, iisque tranquillitatem conservarunt. Hinc sensus est: *principes ex tribu Sebulon descendisse ad bellum illud.* Hoc versioni objici potest, quod cap. IV, v. 6. Debora præceperit, ut Barakus decem millia, ex tribu Naphtali & Sebulon convocet, eosque in montem Tabor ducat. Sed licet Sebulonitæ & Naphtalæi tantum vocati sint, & reliquarum tribuum hic memoratarum, nulla mentio fiat, nihilominus tamen probabile est, quod sese quidam ex aliis tribubus illis associaverint. Novum itaque habemus locum, qui

qui secundum accentus distinctus sensum fundit aptissimum, & contextui congruum. Conferamus nostram versionem cum illa Cl. Clerici, qui aliam tradit, sed sibi ipsi dubiam, & accentibus contrariam: Vertit ille: Ex Ephraimo stirps eorum est, *bellum gerent* cum Hamalekitis, post te; *erunt* o Benjamin, inter populares tuos. Si ׃ Sakephum in בעמלק observasset, eam vocem magis distinxisset, nec semicolon in *post te;* transtulisset. Inde etiam est, quod in secundo membro nullus verborum sensus sit. Nec opus habuisset Clar. Vir, ut codicem mendi accusasset, si enim verborum sensum non semper penetramus, ignorata constructio vocum & ellipsis in causa esse potest. Nullum enim in codice hebræo h. l. mendum esse, versio nostra docebit. Nec tuto colligitur, versum in mendo jacere, qui a LXX. & aliis interpretibus, non recte versus est, multos enim errores a LXX. senibus esse commissos ex ἀβλεψία vel voce משקקים pro qua מחקרים sed sine sensu legerunt, probatur, quod & ipse Clar. Vir confitetur. Quod si itaque accentus membrorum distinctiones monstrant,

ſtrant, & lectores ad verum ſenſum ducunt, eos juſta ratione rejici, non exiſtimo.

§. IV.

Pergam in cœpto Deboræ cantico, & v. 15. & 16. ſecundum accentus diſtinctos explicabo, in quibus non paucæ in vocibus difficultates occurrunt.

Princeps in Iſaſchar | cum Dabora (fuit) : Et tam Iſaſchar | quam Barakus || in vallem | miſſus eſt cum peditibus ſuis In regione Rubenitarum || ſunt magni | ſapientes corde Sed cur ſediſtis | inter duos terminos || ut audiretis | ſibilos gregum? In regione Rubenitarum || ſunt magni | prudentes corde

Pergit Debora in enumeratione principum, qui in bello contra Siſeram fortem demonſtraverant animum. Primus quem in hoc verſu nominat eſt princeps in Iſaſchar, *Et princeps in Iſaſchar fuit cum Debora.* In hebræo codice legitur וְשָׂרַי quam vocem plerique interpretes & Grammatici cum Kimchio in plurali vertunt *principes*. Mihi potius י paragogicum

cum videtur, quale in עמי populus II. Sam. XXII, 44. חצי *sagitta* II. Sam. XX, 36. 38. reperitur. Quod vero in nostro per - patach punctetur, litera ר æmula gutturalium effecit, quæ aptius cum sono a consonat. Vel si mavis שׁרי est ad formam שׁדי, ירי, חלני. חרי, חוזי quæ omnia possunt esse nomina singularis numeri, cum jod Heemanitico, sensus enim in illis locis, in quibus occurrunt, multo aptior est, si in singulari, quam si in plurali vertantur. Sed de his alibi agetur fusius. Ut h. l. vocem in singulari vertam, jussit contextus. Debora enim loquitur in singulari, & principem Issascharis cum Barako comparat his verbis: *Princeps Issaschar fuit cum Debora, & uti princeps Issaschar fuit, sic etiam fuit Barakus*, h. e. uterque forti animo hostem aggressus est. Reliqua verba dicunt, quod Barakus cum peditibus suis in vallem contra hostem missus sit. Ita verto רגלי cum LXX. senibus, qui eandem vocem hoc sensu reddiderunt, Exod. XII, 37. Num. XI, 21. Jud. XX, 2. II. Reg. VIII, 4. &c. Sequens membrum arctius cohæret, cum sequenti versu, quam cum

ante-

antecedenti ‾ Atnachi membro, de quo supra p. 32. plura exempla dedimus. Verba hoc sensu exponenda esse existimo: *In regione Rubenitarum, sunt sapientes corde, sed quare sedistis inter duos terminos, ut audiatis sibilos gregum, cum alias in vestris regionibus tam prudenter agatis.* לפלגות *in Regionibus* verti, פלגות quidem proprie sunt *alvei*, per quas flumina decurrunt, quare etiam a LXX. *flumen* redditur Ps. LXIV, 6. Sed per flumina regionem Rubenitarum intelligendam esse puto, quod illi ad flumina Jordanis & Arnonis habitaverint. Pro חקקי לב LXX. & Chaldæus חקרי לב legisse videntur, quæ vox in sequenti versu iisdem Rubenitis tribuitur, vertunt enim priores ἐξικνούμενοι καρδίαν *penetrantes corde*, posterior vero נכלי לבא *callidi corde*, sed eam significationem etiam חקקי admittit, legislatores enim ut prudentes sint necesse est. Quid sibi velit משפתים obscurum est, LXX. vertunt διγομίας *duplex pondus*, alii vertunt *sarcinas duas*, sed illi legisse videntur משאתים *duplex pondus*, a משאת *onus*. Sic enim vertunt משאת Exod. XXIII, 5. γόμος *onus*, quo se sensum

ſenſum vocis non aſſecutos eſſe produnt. Theodoretus cum aliis codicibus μοσφαιθαΐμ legiſſe videtur, dicit enim μοσφαὶ exponantur ἀγροὶ *agri*, annotante Nobil. Flam. in h. l. LXX. ſenes Gen. XLIX, 14., ubi eadem vox hebraica occurrit de Iſaſchare uſurpata, vertunt κλήρους *ſortes*; Vulgatus vero & Onkelos reddunt *terminos*. Si, quid mihi videatur, dicere licet, exiſtimo משפתים a שפת *ponere, collocare, ſtatuere*, eſſe terminos, a duobus fluminibus poſitos. Confirmat hanc ſententiam, quod de Iſaſchare inter Jordanem & Kiſonem, Gen. XLIX, 14. & h. l. de Rubene inter Jordanem & Arnonem habitante dicatur. Quia itaque Debora in antecedentibus פלגות *fluminum* mentionem fecerat, in ſequentibus apte terminorum, illis fluminibus factorum, meminit. שְׁרִיקוֹת עֲדָרִים *ſibilos gregum*, LXX. vertunt συρισμοῦ ἀγγέλων *ſtrepitus nunciorum*. Obſervavit Nobilius Flam. quod LXX. legerint ἀγέλων *gregum*, quod cum עדרים convenit. Sed Cl. Cler. exiſtimat eos legiſſe ἀγγέλων quod convenit cum עירים *vigiles*. Ex quo infert LXX. loco עדרים legiſſe שרים; ſed fateor me magis propen-

 dere

dere ad Flaminii sententiam, quia LXX. in multis locis עדרים per ἀγέλη *grex*, transtulerunt, conf. 1. Reg. XVII, 34. Prov. XXVII, 23. Cant. I, 6. IV, 1. 2. VI, 4. 5. Cognoscimus itaque, quod LXX. eadem verba hebræa legerint, quæ in hodierno codice extant, & quod scribarum errore ἀγέλων in ἀγγέλων mutatum sit. Ex quibus omnibus patescit, verba secundum accentus distincta, exhibere sensum commodissimum.

§. V.

Progrediar ad sequentem v. 17. qui secundum accentus explicatus longe evidentiorem sensum offert, quam si neglectis accentibus cum Cl. Clerico vertatur.

Gilead || in transitu Jordanis | habitavit ||| Dan vero || cur congregavit se | ad naves — Ascher |||| habitavit | ad portum marium || & super rupibus suis | habitare maluit —

In primo membro Debora laudat Gileaditas, quod ad bellum convenerint, licet uti Rebenitæ trans Jordanem habitaverint. Videtur Debora hoc eum in finem dixisse,

dixisse, ut culpam Rubenitarum aggravet. Si enim Rubenitæ excepissent, se trans Jordanem habitasse, ideoque ad bellum convenire non potuisse; respondet Debora, quod etiam Gileaditæ trans Jordanem habitent, & nihilominus ad bellum convenerint. In secundo membro convertit se Debora ad Danitas, ipsisque absentiam a bello exprobrat, his verbis: *Dan vero cur congregavit se ad naves.* Ita phrasin יגור אניות vertendum esse existimo. גור proprie est *peregrinari & habitare in aliquo loco ad breve tempus*, & semper construitur cum ב *in*, quando locum habitationis indicat. In nostro vero loco illud ב omissum est, quare & aliam significationem accipit. Locus parallelus, in quo etiam ב abest, extat Ps. CXL, 3. *toto die* יגורו מלחמות *congregant se ad bellum*, ubi LXX. reddunt, *παρετάσσοντο πολέμους constituunt bella.* Ex hoc loco etiam noster locus explicandus erit, ut sensus sit: *Conferre se maluit ad naves.* Judæorum Interpretes omnes existimant, Danitas metu hostium percussos se in naves contulisse, & fugam tentasse. Adduntque ex Chaldæo, quod Danitæ pretio-

sis rebus in naves collatis, trans Jordanem fugere voluerint. Sed Chaldæus nimis audacter addidit, quæ in codice hebræo non habentur. Certum tamen est, quod Danitæ ad mare mediterraneum habitaverint Jos. XIX, 46. ubi refertur, quod terminus eorum ad *Jappo* se extenderit. Cl. etiam Cellarius Danitis urbes maritimas tribuit imprimis *Jabne*, Græcis Latinisque Ἰαμνία vel Ἰάμνεια dicta, & a Judæorum Synedrio celebris. conf. L. III. cap. XIII. p.m. 605. Et Spanhem. Geograph. S. p.30. Ex his colligitur, quod Danitæ res nauticas tractaverint, & se ad naves contulerint, patrum curantes bellum, quod reliquis tribubus imminebat. Verum enim vero, licet hic sensus evidens sit, & probabilis, nihilominus Clar. Cler. ex neglectu accentuum hunc versum plane in alium sensum traxit, & hoc modo transtulit: *Galabaditæ trans Jordanum incolunt, ut & Danitæ; cur habitat ad naves Aser, cur consedit ad portus marium, & in præruptis suis rupibus sedet?* Existimat itaque Gileaditas & Danitas trans Jordanem habitasse, versus orientem. Cum vero sciret, quod Danitæ alias mare mediterraneum

accolant, dicit h. l. eos Danitas intelligi, qui ex tribu Danitarum egressi, se ad Jordanem contulerunt, & ibi urbem Dan ædificarunt, prout de illis legimus Jud. XVIII. v. 1--29. Sed mihi non videtur, quod Debora illos Danitas, ex tribu sua profectos intellexerit, partim enim de iis non potest dici, quod habitaverint trans Jordanem: ille enim locus, in quo urbem Danem ædificarunt, erat cis Jordanem; partim illa urbs minor est, quam ut incolæ ejus Danitarum nomine appellentur. Sic quoque haud commode inter reliquas tribus integras exigua illa pars Danitarum a scriptore, perspicuitatis studioso, integræ tribus nomine recensetur. Multo itaque rectius accentuum Auctor Danitas a Gileaditis accentu ⏝ Sakepho distinxit, eosque ad mare mediterraneum habitare indicavit. Tertium denique membrum de Aseritis loquitur, quorum absentia a bello pariter a Debora excusatur. *Aser sedit ad portum marium, & super rupibus habitare maluit*, quasi diceret: Non poteris provocare ad Aseritas, qui etiam ad mare habitant, & ad bellum non convenerunt; hi enim

præruptos montes ſuos cuſtodire debuerunt, ne ipſis abſentibus, ab hoſte occuparentur. Sic non opus eſt, ut cum Cl. Clerico tria prædicata Synonyma Aſeritis tribuamus, quia vox יָגוּר ſecundum accentus ad Danem refertur.

§. VI.

Sequitur v. 18. in quo Cl. Clericus accentus pariter neglexit, & ſenſum turbavit. Inter Heroes Iſraelitarum Debora quoque numerat Sebulonitas, atque Naphtalæos, canens:

Sebulon || eſt populus, qui contempſit animam ſuam | ad mortem || uti & Naphtali ⌒ ſuper altitudinibus campi ⊤:

Si textus ſecundum accentus legatur, nulla difficultas adeſt. Verba עם חרף נפשׁו commode vertuntur, *populus qui contempſit animam ſuam ad mortem*, ut poſt עם particula אשר ſubintelligatur, quod linguæ idiotiſmus requirit. LXX. quoque eodem ſenſu reddiderunt, λαὸς ὀνειδίσε ψυχὴν αὐτȣ̃, ſecundum Cod. Romanum. Parum differt Codex Alexandr. qui ὀνειδίσας legit. Senſus itaque ſecundum

dum accentus, qui Naphtalæos Sebulonitis annectunt, ſequens erit: Tam Sebulonitæ, quam Naphtalæi animam ſuam, h. e. ſeipſos mortis periculo expoſuerunt in montibus agrorum. Conſentit Vulgatus: *Zabulon vero & Naphtali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.* על מרומי השדה pro nomine loci habetur, ſed uti videtur citra neceſſitatem. LXX. ſenes enim pro appellativo agnoverunt, quod tam ex Romano quam Alexandrino codice apparet, quamvis in reliquis differant: Alexandrinus Grabii ita legit: Ζαβουλὼν λαὸς ὀνειδίσας ψυχὴν αὐτου εἰς θάνατον· Καὶ Νεφθαλεὶμ ἐπὶ ὕψη ἀγροῦ. In quibus nihil immutandum eſt præterquam interpunctio, quæ a recentiori manu acceſſit. Si enim omiſſo puncto ita vertuntur: *Zabulon eſt populus contemnens animam ſuam uti & Naphtali, in altitudinibus agri*, accurate hebræo codici & accentibus reſpondent. Romanus vero h. l. neque recte diſtinctus, neque recte verſus eſt in Bibliis Anglicanis. Legunt enim: Ζαβουλὼν λαὸς ὠνείδισε ψυχὴν αὐτοῦ εἰς θάνατον, καὶ Νεφθαλὶ ἐπὶ ὕψη ἀγροῦ ἦλθον αὐτῶν. Quæ verſa ſunt: *Zabulon*

populus improperavit animam suam in morte: Et Nephtali venerunt ad altitudines agri sui. Aperte annexæ sunt duæ voces huic versui, quæ ad sequentem pertinent. Verba enim ἦλθον αὐτῶν βασιλεῖς *venerunt eorum reges* verbis 19. versûs באו מלכים *venerunt reges*, respondent. Sed versionem, quam Auctor accentuum docet, rejecit Clar. Clericus, in ejusque locum sequentem subjecit: *Zabulon populus fuit, qui contemsit vitam suam, ut moreretur, Nephtali vero in locis editis se tenuit.* Cum accentus neglexisset, & verba aliter distinxisset, duas propositiones in hoc versu latere judicavit, sed congruo sensu destitutus verba, *se tenuit*, addidit. Eo ipso vero errorem historicum committit, quem in notis prolixe proponit: *Videntur hæc*, inquit, *significare, aut Nephtalitas non ita adjuvisse Barakum, ut Zabulonitæ fecerant; sed remansisse in suis rupibus, quibus Galilæa superior plena est; aut eos in editis locis fortiter pugnasse; sed prius malim.* Sensus itaque, quem alter præfert, quemque in versione expressit, hic erit, quod Nephtalitæ in editis suis rupibus remanserint,

ſerint, nec ad bellum convenerint. Sed contraria ſententia, quod Nephtalæi cum Sebulonitis fortiter contra Siſeram pugnaverint, confirmatur ex cap. IV. Jud. v. 6. Ubi Debora Barako mandat, ut ex Nephtalæis & Sebulonitis colligat decem millia hominum, eaque in montem Thabor ducat, ut contra Siſeram pugnent. Et v. 10. refertur, quod Barakus Zabulonitas & Nephtalæos Kadeſum convocaverit, decem millia hominum. Et v. 12. dicitur, quod annunciatum ſit Siſeræ, Barakum in montem Thabor adſcendiſſe, & v. 14. legitur, quod Barakus, ex monte Thabor deſcenderit, & prælium cum Siſera iniverit. Qui hæc perpendit & deinde noſtra Deboræ verba legit, cognoſcet, quod tam Zebulonitæ, quam Nephtalæi ſeipſos mortis periculo expoſuerint in editis locis agri h. e. in monte Thabor. Cognoſcimus itaque, quod Accentus ab Auctore ſint appoſiti, qui loca parallela reſpexit; & genuinum ſenſum ſcripturæ tenuit, quodque illi feliciter ſcripturam interpretentur, qui eos obſervant. Accentus enim h. l. nos docent, quod vox Nephtali antecedentibus, non vero

ro cum Clerico, sequentibus addenda sit.

§. VII.

Addam quoque versum 20., in quo Cl. Clericus ex neglectu accentuum sensum pariter imperfectum reddidit. Secundum accentus verba ita vertenda sunt:

Ex cœlis | pugnarunt ⏉ stellæ | ex semitis suis || pugnarunt | cum Sisra ⏊:

Sensus est, quod Israelitæ, eorumque fortissimi heroes, quorum fortis animus in antecedentibus laudatus est, non humana, sed divina virtute, angelorum exercitu stipati contra hostes pugnaverint. Hinc Chaldæus vertit: *ex cælo initum est cum illis bellum.* Quod Rasche interpretatur: *Deum misisse exercitum contra hostes, nullo stipendio conductum.* Eodem sensu David Ps. LVI, 3. loquitur: *multi pugnarunt pro me ex alto cælo.* Reliqua verba poetica phrasi hoc volunt: *Stellæ ex semitis suis pugnarunt cum Sisra.* Quæ Chaldæus ita vertit: *ex loco, quo exeunt stellæ, de semitis ductuum suorum, ibi initum est bellum cum Sisra.* Sensus est, quod

quod Deus ex cœlo miserit procellas in hostes, qui eos turbarunt. Huc enim spectant verba Cap. IV, 15. *Turbavit Dominus Sisram & omnes currus eorum.* Idem sentit Joseph. L. V. Antiquit. Jud. c. VI. p. m. 152. seq. *Itaque commissa pugna, vehemens imber mixtus grandine supervenit, quem ventus in adversa Cananæorum vultus ingerens, & perspectum adimens, inutiles eorum jaculatores ac fundatores reddidit: atque etiam scutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix retinebant. Israelitas vero tempestas a tergo imminens, non solum minus offendebat, sed alacriores etiam faciebat, manifesto Dei præsentis ac faventis signo accensos.* Clar. Cler. uti dixi, etiam h. l. more solito accentus neglexit, & hoc sensu vertit: *E cœlo pugnaverunt stellæ, ex orbitis suis cum Sisera prælium commiserunt.* Inter utramque versionem hoc discrimen intercedit, quod in nostra duæ propositiones sint: *Israelitæ ex cœlo pugnarunt, stellæque ex orbitis suis commiserunt prælium cum Sisra.* In posteriori vero tantum una est propositio: *stellæ ex orbitis suis cum Sisera prælium commiserunt.* Sensus uti videtur, uter-

uterque bonus eſt, ſed prior linguæ genio magis favet, quæ duas propoſitiones format, & ſubjectum *Iſraelita* ex antecedentibus repetit. Si enim Debora unam propoſitionem intendiſſet, ſubjectum (*ſtella*) in principio ſtatim eſſet poſitum, hoc ordine: *ſtella pugnarunt ex cœlo*, hoc enim linguæ genius requirit. Sed quia Debora duplicem propoſitionem in mente habuit, ideo Auctor accentuum primam ⁀ *Atnacho* clauſit, & ad ſecundam *ſtellas* retulit, ut ex conſueto linguæ genio ſubjectum præcederet, & prædicatum ſequeretur. LXX. quoque duplicem propoſitionem referunt, ἐξ ὐρανῦ παρετάξαντο, οἱ ἀςέρες ἐκ τρίβων αὐτῶν παρετάξαντο μετὰ Σισάρα. Licet enim comma poſt ἀςέρες ſit poſitum, illius tamen nulla ratio habenda eſt, quia, uti notum, diſtinctiones a recentiori manu ſunt additæ. Hieron. accentus accurate obſervavit, duaſque propoſitiones expreſſit:

De cœlo dimicatum eſt contra eos:
Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo,
adverſus Siſeram pugnaverunt.

Manifeſtum itaque eſt, quod ſi accentuum

ratio habeatur, melior, genioque linguæ convenientior ſenſus fluat. Nulla ergo Cl. Clericum urgebat ratio, ut etiam in hoc verſu contra accentus pugnaret, & commentarii loco ſubjiceret: *Sic verba conjungimus, nulla ratione habita accentus. Atnach, qui eſt in voce* כַּלַּחְמוֹ *quaſi in ea deſineret hemiſtichium prius, & vox* כּוֹכָבִים *ſtellæ, poſterius incheoaret. Vel tertia vox Cap. I. Geneſeos oſtendit, nullam eſſe ejus accentus rationem habendam, niſi cum ſenſu conſentiat, ſed conſtructionem tantum ſequendam.* Si enim Cl. Vir in lectione codicis hebræi obſervaſſet, quod ‸ Atnachus ſemper maximam verſus diſtinctionem occuparet, ſive illa ſemicommati, ſive commati, ſive colo, ſive puncto æquipolleat, non dubito eum cognoviſſe, quod non ſolum in hoc loco, ſed etiam Gen. I. v. 1. accentus ille maximam diſtinctionem indicaret, quam interpres in verſione neceſſario attendere debet, ſi mentem ſcriptoris referre velit.

§. VIII.

Ut cognoſcamus, quid de accentibus in Keri & Kethib hebendum ſit, apponam

nam locum, cujus occasione mentem meam explicabo.

Neh. II, 13.

Et egrediebar per portam vallis nocte || & ad fontem draconis ||| & ad portam | stercoris & considerabam | muros Hierosolymorum || qui erant rupti הֵם פְּרוּצִים *& porta ejus | peresa erant igne*:

Nolo hic discutere, cur LXX. עֵין תְאֵנִין *fontem ficuum*, loco עֵין הַתַּנִּין *fontem draconis*, quæ hodierna est lectio, legerint. Nullus enim dubito, hodiernam lectionem esse veram, quod ea Vulgati quoque auctoritate confirmetur. Sed accentus in vocibus הֵם פְּרוּצִים examinabo, & quomodo secundum Kethib legendum sit, explicabo. Literæ illæ secundum accentus & vocales sunt dividendæ, & uti duæ voces legendæ hoc modo, הֵם פְּרוּצִים *illi disrupti*, prout in Bibliorum margine literæ, & in textu vocales prostant. Hoc enim certissimum & omnium locorum inductione confirmatum est, quod accentus & vocales in Keri

&

& Kethib, nunquam ad literas, quibus subjectæ sunt in textu, sed potius ad alias in margine scriptas & litera 'ק h. e. קרי *lege*, indicatas, referendæ sint. Hinc etiam est, quod vocales & accentus, non cum literis המפרוצים, sed cum aliis in margine scriptis הם פרוצים legendæ sint. Si quis itaque Kethib h. e. literas in textu scriptas, præferat Keri, h. e. literis in margine exhibitis, necesse est, ut alias vocales & accentus quærat, quas voci Kethib subjiciat. Quæ vero vocales & accentus nostro Kethib subjiciendæ sint, ex analogia Grammatices & Artis accentuum constabit. Ex ea etiam discimus, quod nostra vox הַמְּפְרוֹצִים *perruptiones* legenda sit. Uti enim a כאב est מַכְאוֹב *dolor*, a שקף, מַשְׁקוֹף superliminare, sic etiam a פרץ est מַפְרוֹץ *perruptio* vel *res perrupta*, & in Pl. מַפְרוֹצִים *perruptiones*. Nec probanda est Cl. Clerici conjectura, qui in Pual הַמְּפֹרָצִים, *qui ut perrumperentur curatum fuerat*, legit. Litera enim ו est omissa, quæ in Kethib extat, vel tamen translocata & in ּ mutata, quod utrumque vocis corruptionem indicat.

Sen-

Sensus quoque ex mea lectione natus non est incommodus: *& considerabam muros Hierosolymorum, qui erant perruptiones*, h. e. *perrupti*, substantiva enim frequenter adjectivorum loco ponuntur. Quamvis in nostro Keri & Kethib nullum mysterium perspiciam, non possum tamen in eorum sententiam concedere, qui ejusmodi duplices lectiones Masoretis Tiberiensibus tribuunt. Nam LXX. senum versio eos convincit, quod nostrum Keri jam eorum ætate in codice extiterit. Quando enim vertunt: *Et eram conversans in muro Hierusalem* ὃ αὐτοὶ καθαιρῦσι, *quem illi evertunt*, docent, quod הֵם *illi* legerint, licet sequentem vocem non פְּרוּצִים *eversi*, quæ hodie legitur, sed פּוֹרְצִים *evertentes* non sine errore legerint. Plura loca prostant, in quibus LXX. hodiernum Keri & non Kethib, versione expresserunt. Sed etiam non desunt alia loca, in quibus LXX. Kethib, Jonathan vero Keri verterunt. V. g. Ps. C, 3. *Ille fecit nos*, וְלֹא אֲנַחְנוּ *& non nos* scil. fecimus nos. Hic lectionem τῦ Kethib LXX. approbant vertentes: αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς καὶ ὐχ ἡμεῖς,

Jona-

Jonathan vero transtulit: *ille fecit nos*, ודיליה *& ipsius sumus*, quod respondet τῷ Keri in margine apposito וְלוֹ אֲנַ֫חְנוּ *& ipsius nos sumus*. Si vero in vocibus Kethib alius sensus est, alii etiam accentus, qui sensum distinguunt, inveniendi sunt. Hinc ־֣ Munch in הם perit, quando literæ illæ cum sequentibus in unam vocem coeunt, nisi eundem ֔ Sakepho velis in eadem voce præmittere, uti alias frequenter fieri assolet. In altero loco ex Ps. C, 3. allegato tollendum est Metheg, quod וְלוֹ ab אֲנַ֫חְנוּ distinguit, si secundum Kethib ולא אנחנו *& non nos*, legere velis, quia לא *non*, sequenti voci semper arcte adhæret. Uti itaque in nostro Nehem. loco מ medianum omni mysterio caret, sic & ם finale in medio vocis Jes. IX, 6. nihil mysterii denotare videtur. Uti ex Keri apparet, ibi est duplex lectio, altera, quæ legitur, לְמַרְבֵּה *amplitudini principatus*: altera, quæ scribitur לָם רַבָּה *ipsis amplificatus est principatus*. Neutra lectio erat rejicienda, utraque enim commodum sensum gignit. Si legis לְמַרְבֵּה hunc sensum

habebis: *amplitudini principatus, & paci nullus erit finis, super throno Davidis, & super regno ejus*, h. e. *super throno Davidis ejusque regimine, perpetuus erit principatus, paxque æterna.* Hunc sensum referunt LXX. μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ὅριον ἐπὶ τὸν θρόνον δαβὶδ καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Altera lectio, quæ secundum Kethib לם רַבֵּה legit, sensum quoque haud spernendum refert: *Ipsis (fidelibus) amplissimus erit principatus, & paci nullus erit finis super throno Davidis & regno ejus.* Quam lectionem Jonathan expressit, vertens: סגי רבו לעבדי אוריתא *Multiplicata est dominatio facientibus legem, & custodientibus pacem non erit finis super solio David & super regno ejus.* Abeat ergo Aben Esra, qui Comment. in h. l. literam illam clausam in medio de reversione umbræ, miraculo Hiskiæ tempore facto, explicat: דרך דרש הסופרים כי המ״ם סגור בתוך המלה והיה ראוי להיותו בסוף רמז לאות השמש הלך לאחור: h. e. *In hoc loco est mystica Scribarum expositio, quia Mem clausum est in medio vocis, quod tantum in fine ponendum est. Respicitur ad miraculum solis cujus membra reversa est.*

est. Nec facile alicui R. Bechai persuadebit, quod hoc Mem clausum ideo positum sit, ut immortalitas Messiæ filii David indicaretur, uti in Comment. ejus in Sect. Noach fol. XXII. col. 1. legimus: משיח בן דור לא יהיה בו מית' אבל הוא עתיד שיחיה לעולם כי מעת בואו יהיה תת"לז שנים לתשלום האלף חששי והוא במנין למרבה המשרה שחשבון ם סתומה ת"ר ואחר תת"לז יכנס מיד באלף השביעי שכלו שבת וחיים נצחיים ועליו אמר דוד ע"ה חיים שאל ממך נתת לו ימים עולם ועד: h. e. *Messias filius David non morietur, sed vivet in æternum. Nam a tempore adventus ejus erunt 837. anni, qui complebunt millenarium sextum; qui numerus est in* למרבה המשרה, *numerus enim* τῦ ם *est clausus. Tradunt Rabbini post 837. annos ingredietur statim in millenarium septimum, quod totum est Sabbatum, & vita æterna, de quo dixit David, rogavit te & dedisti ipsi longos annos in æternum* Ps. XXI, 5. Sed dicant Judæi cur Messias non venerit, cum in millenario sexto 470. anni præterlapsi sint. Ignorantia hujus literæ clausæ in medio vocis

fœcunda eſt myſteriorum mater, idem
enim Bechai in allegato Comment. Sect.
ויהי fol. 60. col. 4. ex eadem aliud myſte-
rium eruit: כן אמר ישעיה ע"ה לםרבה
המשרה ולשלום אין קץ ובארה הם"ם
סתומה שלא כמשפט כי משפט הם"ם
שבאמצע תיבה להיות פתוחה וזו סתומה
לרמוז כי המעלה והמשרה של ישראל
הלא היא סתומה בזמן הגלות ומצינו
בעזרה מ"ם פתוחה בסוף תיבה וזו ג"כ
שלא כמשפט והוא. שכתוב בחומות
ירושלם אשר ה"ם פרוצים ושעריה אכלו
באש· ואמרו במדר' שבא הרמז כאשר
יסתמו חומות ירושלם שהם עתה
פתוחים ופרוצים בזמן הגלות אז תפתח
המשרה שהיא סתומה: *Hinc dicit Eſaias,*
לםרבה המשרה וגו' *occurrit Mem clauſum*
contra regulam, hæc enim poſtulat, ut Mem
in medio vocis ſit apertum, hoc vero clau-
ſum eſt, quo innuitur, quod majeſtas prin-
cipatus Iſraelitici ſit abſcondita tempore
captivitatis. Invenimus etiam in Eſra
Mem apertum in fine vocis, quod etiam
contra regulam; occurrit illud, quando
de muris Hieroſolymitanis dicitur, הם
פרוצים

פרוצים illi ſunt perrupti, &c. *Inde dicunt in expoſitionibus myſticis, quod illud hunc ſenſum indicet: Quando claudentur muri Hieroſolymitani, qui jam aperti ſunt, & perrupti hoc nempe tempore captivitatis, tunc aperietur* המשרה *principatus, qui jam abſconditus eſt.* Sed hæc aliaque ficta Judæorum myſteria feliciſſime refutantur, ſi ipſis vera Mem clauſi & aperti ratio, quam ſupra detexi, proponatur. Myſterio etiam caret נ Nun medianum Job. XXXVIII, 1. ſecundum alios Codices cap. XL, 6. annotatum. Olim enim lectum eſt מִנְּסְעָרָה *reſpondit Deus ex turbine.* Licet enim נסערה ſit Part. Niphal, ſignificetque *rem turbatam*, facile tamen degenerat in Nomen, & *turbinem* denotat, prout eam LXX. & Hieron. reddunt Pſ. L, 3. In Synagogis vero Judæi legere maluerunt מִן סְעָרָה *ex turbine*, una voce in duas diviſa, ſed ſenſu eodem manente. Inde in Bibliis Venetis, a Judæis Anno ſupp. minor. 438. in 4to expreſſis, in margine additum eſt. כתיב חד וק' תרין *ſcripta eſt vox una, ſed leguntur duæ.* Quod vero illud Kethib non in omnibus codicibus legatur, do-

cet Interlin. & Plantin. editio, quæ nullum Kethib annotarunt.

§. IX.

Alius locus, ab Hieronymo minus recte explicatus, sed accentuum ope evidentissimus Dan. XI, 37. occurrit. De Anti-Christo ibi agi omnes confitentur tam Lutherani quam Pontificii. Sed quæ affirmative interpretantur Pontificii, ea negative intelligunt Lutherani. Videamus ipsa verba.

וְעַל־אֱלֹהֵי אֲבֹתָיו לֹא יָבִין וְעַל־חֶמְדַּת נָשִׁים וְעַל־כָּל־אֱלוֹהַּ לֹא יָבִין כִּי עַל־כֹּל יִתְגַּדָּל׃

Super Deum patrum suorum | *non animadvertet* ||| *neque super desiderabiles mulieres* | *neque super ullum Deum* || *animadvertet* ‸ *Nam super omnia* | *se extollet*. Phrasis יבין על אלהי אבותיו commode vertitur: *animadvertet super DEUM patrum suorum*, eodem enim sensu occurrit v. 30. ויבן על *& animadvertet super relinquentes pactum sanctitatis*, h. e. cognoscet & intelliget eos, qui pactum sanctitatis relinquunt. Sensus enim

enim Prophetæ in nostro loco est, quod Anti-Christus non agniturus & non æstimaturus sit Deum patrum suorum. Eodem sensu deinde pergit, quod neque mulieres, neque ullum Deum æstimaturus, sed se super omnia elaturus sit. Hujus versus membra ita distinguenda esse, accentus indicant. ֛ Thebir enim in נָשִׁים *mulieres*, postulat ut sequentes voces usque ad לֹא יָבִין *non intelliget*, in lectione conjungantur. In multis LXX. senum codicibus & apud Theodoretum idem membrum cum sequentibus conjunctum esse testatur Flam. Nobil. Καὶ ἐπὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πᾶν θεὸν οὐ συνήσει. *Neque super cupiditatem mulierum neque super ullum divinum intelliget.* Ipsa etiam particula עַל *super* requirit, ut cum sequenti לא יבין *non intelliget* construatur. Vulgatus vero hujus membri versum plane pervertit, & quæ negative vertenda erant, affirmative hoc sensu eloquitur: *& erit in concupiscentiis fœminarum.* In qua versione neglectus idiotismi, constructionis & falsæ interpunctionis observatur. Nonne חֶמְדַּת נָשִׁים potius redditur, *desiderabiles mulieres*, quas

quas alii magnates appetere solent, uti 1. Sam. IX, 20. חמדת ישראל *desiderabilis, & pretiosus Israel* vertitur? Hebræi enim adjectivorum defectu laborantes, in eorum locum substantiva substituere, omnibus linguæ peritis notum est. Neglectum constructionis vocum, procul dubio Hieronymi de Anti-Christo sententia concepta causata est, qui eum omnibus mulierum deliciis deditum credidit, alias in tanta luce non cæcutiisset. Eadem ex causa verba in lectione conjungenda, distinxit. Verba enim, *& super omne desiderabile mulierum*, quæ a sequentibus separata nullum sensum gignunt nec membrum absolvunt, cum sequentibus conjungenda esse, quivis facile intelligit. Ne vero a sensu aberrasse putemur, audiamus Paulum 1. Tim. IV, 1. 2. 3. qui hunc locum explicuit ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες &c. κωλυόντων γαμεῖν *per hypocrisin prohibentes matrimonium*. Miramur itaque merito Corn. a Lapide in Comment. in h. l. qui cum aliis Pontificiis hanc Vulgati versionem approbat, aliisque præfert: *Verum noster interpres*, inquiens, *aptius & verius hæc disjungit &*

& dispungit, vertitque affirmative, & erit in concupiscentiis fœminarum: quia certum est Antiochum fuisse mulierosum, etiam publice & magis mulierosum fore Anti-Christum.

§. X.

Erroneam versionem errores in doctrina parere vidimus. Idem ex Jes. XI, 2. 3. cognoscimus.

Et quiescet super eum | spiritus Domini ⏉ spiritus sapientiæ & intelligentiæ || spiritus consilii | & fortitudinis ||| spiritus scientiæ | & timoris Domini ⏉ v. 3. Et odorari ejus erit | in timore Domini ⏉ Non enim secundum adspectum oculorum | judicabit || neque secundum auditum aurium suarum | arguet ⏉

Hieronymus hæc ita transtulit:

Et requiescet super eum spiritus Domini;
Spiritus sapientiæ & intellectus,
Spiritus consilii & fortitudinis,
Spiritus scientiæ & pietatis,
Et replebit eum spiritus timoris Domini.
Non secundum visionem oculorum judicabit.

Neque secundum aurium auditum arguet.

In plerisque versio hæc cum hebræi codicis accentibus concordat, in eo tamen differt, quod in linea quinta ex sequenti versu membrum avellat & antecedenti adjungat, quod contra accentuum regulas. Ex hoc errore mox alius est prognatus, falsa nempe phrasis versio: והריחו ביראת יהוה *& odorari ejus in timore Domini.* Hujus sensum esse putavit, *& replebit eum spiritus timoris Domini.* Nullam aliam erroris causam fuisse existimo, quam phraseos illius ignorantia, aliam enim lectionem in ejus codice extitisse vix mihi persuadebitur. Cum legeret illa verba, nec eorum sensum caperet Hieronymus, LXX. senes consuluit, eosque secutus est, qui vertunt: ἐμπλήσει ἀυτὸν, πνεῦμα φόβου Θεοῦ. Judæos talem sensum olim verbis tribuisse ex Raschii commentario in h. l. intelligitur, qui interpretatur ימלאו רוח יראת יהוה *replebit eum spiritus timoris Domini.* Sed Raschium frequenter errasse, neque Christiani neque Judæi diffitentur, hoc vero in nostro loco factum esse, vel ex eo collgitur,

quod

quod nullum locum parallelum, quo ſuam ſententiam probaſſet, adduxit. Nec talem quisquam producet, quia nullus proſtat. Ex collatione autem vocum & phraſium ſcripturam explicandam eſſe, omnes Chriſtiani & Judæi exiſtimant. חָרִיחַ in Hiphil, in aliis enim Conjugat. non occurrit, *odorem alicujus rei percipere*, ſignificat: Hoc ſenſu dicitur de Iſaaco Gen. XXVII. v. 27. וַיָּרַח *& odoratus eſt odorem veſtium ejus*, & de DEO improprie Levit. XXVI, 31. *Et non* אָרִיחַ בְּרֵיחַ *odorabor odorem expiationis veſtræ*, h. e. non percipiam odorem expiationis. Ex. XXX, 38. *quicunque fecerit ſimile* לְהָרִיחַ בָּהּ *ad odorandum in eo*, daß er daran rüche *excidetur*. Vulgatus, *ut odore ejus perfruatur*, & LXX. *ut olfaciat in eo*. Jonath. לְארָחָא *ad odorandum in eo*. Jud. XVI, 9. *ſicut frangitur filum ſtuppæ*, בהריחו אש *quando odoratur ignem*, h. e. quando odorem ignis in ſe recipit. LXX. ἐν τῷ ὀσφρανθῆναι αὐτὸ πυρός. Vulg. *cum odorem ignis perceperit*. porro de interiori perceptione & ſenſu alicujus rei legitur Job. XXXIX, 25. ומרחק יריח מלחמה *& e longinquo odorabitur bellum*. Nihil prohi-
bet

bet, quo minus eodem ſenſu h. l. reddatur: *Et odorari ejus eſt in timore Dei*, h. e. ille adorabitur timorem Dei, ille homines cognoſcet, timore DEI præditos. Uti enim ſupra Levit. XXVI, 31. dicitur: וְלֹא אָרִיחַ בְּרֵיחַ וגו׳ *& non odorabor in odore expiationis veſtræ*, latine commode vertitur: non odorabor odorem expiationis, quia הֵרִיחַ *odorari* cum partic. ב conſtruitur; Sic etiam h. l. וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יי׳ *Et odorari ejus in timore Domini.* Infinitivo in Futurum mutato, commode latine redditur, *& odorabitur timorem Domini*, h. e. cognoſcet qui DEUM timeant. Hanc explicationem ſequentia verba confirmant, quibus dicitur, *quod non ſecundum externum oculorum adſpectum judicaturus ſit.* Nec eſt, ut quis objiciat Hiphil habere ſignificationem tranſitivam & rectius ſignificare *& odorari faciet*, vel *adolebit*. Notum enim eſt, quod verba in Kal inuſitata, in Hiphil activam ſignificationem habeant, prout Glaſſius obſervavit L. III. Tract. III. Can. XXVII. p. m. 833. & Schoreſch Jehuda fol. 28. col. 2. Quamvis itaque Vulgata h. l. erroris convicta ſit, nihilominus falſa hujus

jus loci versione nixi Pontificii, non solum septem dona spiritus, sed & septem sacramenta adstruere laborarunt. Vid. Pauli Sarpi Veneti Histor. Concil. Trident. L. II. p. m. 395. Eadem versione olim Ambrosius seductus in cantico suo cecinit: *Tu septiformis munere Dextræ Dei tu digitus &c.* Quod facile corrigitur, si loco *septiformis*, *multiformis* legas. Si enim dona Spiritus recte in textu numeres, sex tantum reperies, septimum vero ex erronea Vulgati versione accessit. Leo Castrius cum non inveniret, quod responderet, יראת יי v. 2. deducit a ראה vidit, ut יראה *visionem* vel *illuminationem*, quæ εὐσέβειαν *pietatem*, parit, significet, quæ tamen derivatio Corn. a Lapide non placuit, quia omni fundamento destituitur. Ut vero hic Vulgatam defendat יראת יי *timorem Domini* duo significare prætendit, primo timorem & reverentiam; secundo pietatem: quia hæc naturaliter consequitur reverentiam. Sed quicquid dicant, dubium non tollent. Sex tantum sunt dona Spiritus, nam in sequenti v. 3. cujus membrum primum Vulgatus antecedenti con-

ti contra accentus adjunxit, de novo ſpiritu Meſſiæ promiſſo non agitur, ſed de exercitio virtutum memoratarum. Vi enim harum virtutum odorabitur, & cognoſcet, qui ſint pii & impii, eosque dijudicabit & arguet.

§. XI.

Minores etiam accentus, quibus alias tanta diſtinguendi vis non ineſt, verſionum errores quandoque detegunt. Quod nobis exemplo ex Gen. XXII, 13. deſumto patefiet.

וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת־עֵינָיו וַיַּרְא וְהִנֵּה־אַיִל
אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָיו

Et elevabat Abraham oculos ſuos || *&* *circumſpiciebat* | *& ecce aries* ||| *retrorſum* || *detentus in perplexis ramis* | *cornibus ſuis*

Ita locus vertendus & ſecundum accentus explicandus eſt. נאחז *detentus*, deſcendit a Rad. אחז *apprehendit* inde in Part. Niphal eſt *apprehenſus*, *detentus*. Sic Kohel. IX, 12. *ſicut piſces* נֶאֱחָזִים *capti reti malo*. Nec vox בסבך obſcura eſſe

pote-

poterit, quæ a סבך *perplexum esse*, derivatur. De perplexis ramis legitur Jes. IX, 17. *& incendat* בסבכי היער *perplexos ramos sylvæ.* Tandem בקרניו vertendum est in Ablativo, nec conjungendum cum בסבך; uti accentus Tiphcha & part. ב Ablativi nota docet. Nunc LXX. senum versionem evolvamus, & quem sensum his ultimis verbis intulerint videamus.

Καὶ ἀναβλέψας Ἀβραὰμ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ἴδεν, καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ Σαβὲκ τῶν κεράτων.

Et respiciens Abraham oculis suis vidit, & ecce hircus unus, detentus in virgulto Sabec cornibus.

Non possum non LXX. senum ἀβλεψίαν notare, qui loco אחר *retrorsum*, legerunt אחד unus, ר in ד mutato. Nos vero Sakepho magno duce facile cognoscimus, quod אַחַ֗ר *retrorsum* ad sequentia pertineat, sensusque sit, quod aries a tergo Abrahami detentus fuerit. Sed gravius errarunt, dum vocem בסבך pro arboris vel plantæ nomine proprio habuerunt. Hæc deinde erronea versio fœcunda aliorum errorum mater fuit, a Flam. Nobilio

lio in variant. lectionibus notatorum. Unde in scholio quodam incerto legimus: σαβὲκ *quidam reddiderunt* ἄφεσιν *dimissionem, liberationem: quidam vero* ὀρθιος *erectus, ut idem valeat, ac si diceretur, hircus erectus, qui in virgultum inscenderat: hoc autem loco erectus cornibus detentus, ut sit manifestus typus crucis. Propter hanc vero causam in aliam linguam non convertitur, quoniam dictio ebraa cum una sit, multa significat. Interrogantibus autem sic respondere oportet & dicere, vocem* σαβεκ *interpretari* sublatum. Nec melior est Leonis Castrii, lib. 6. Apol. meditatio. *Christum videlicet verbis illis* ἐλὶ ἐλὶ λαμὰ σαβαχθάνι *ad eandem plantam Sabec allusisse, ut indicaret, se esse illum arietem pendentem atque suspensum ex arbore Sabec, quem Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec Abraha olim ostenderat. Verbum enim Sabactani a nomine Sabec inflexum videtur.* Mirabuntur orientalium linguarum periti, quod Leo Castrius Syrorum vel Chaldæorum שבקתני *deseruisti me*, cum סבך *perplexo ramo* confunderit, nec literarum diversitatem adverterit. Hæc ideo

ideo adduxi, ut hebræarum literarum imperiti agnoſcant, quam facile errores incurrere poſſint, ſi ſequantur interpretes hebrææ linguæ parum peritos.

§. XII.

Ultimo loco explicabo verba Michæ cap. V, 1. quæ multos eruditos exercuerunt, & oſtendam, quod ſi ſecundum accentus recte legantur & vertantur, tam Matthæus cap. II, 6. quam LXX. ſenes cum hebræo textu conſentiant.

וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת
בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת
מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל׃

Et tu | Bethlehem Ephrata ||| an minor es princeps || ut ſis | inter chiliarchias Judæ |||| ex te mihi exibit ||| qui ſit Dominus in Iſraele.

Nulla equidem inter accentus inveniuntur interrogationum ſigna, uti ſupra monitum. Accentus tamen vocum diſtinctiones indicant, & utrum interrogatio poni poſſit, oſtendunt. Supra oſtenſum eſt, quod accentus repetiti majorem

distinctionem in primo quam secundo loco requirunt, quare in צָעִיר major est distinctio, quam in לִהְיוֹת: quo posito ultro sequetur, quod in צעיר interrogatio admitti possit. Eadem distinctionum proportio reperitur in aliis interrogationibus, qualis est Jud. XI, 9. אָנֹכִי אֶהְיֶה לָכֶם לְרֹאשׁ *an ego || ero vobis in caput?* Quæ si absque interrogatione interpretari velis, loco ֗ in אנכי alius minor distinctivus ֣ collocandus, & textus ita vertendus erit: Ego | ero tibi || in caput. Pari modo si nostra verba absque interrogatione vertas, ita secundum accentus distinguenda erunt. Parvus es | ut sis || inter chiliarchias Judæ, quæ versio hos accentus ordinarie requireret, צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה ut loco ֑ substituatur ֣ minor distinctivus. Si LXX. versionem cum interrogatione eloquaris, uti Jud. XI, 9. sensum hebræo textui conformem habebis. Vertunt enim: ὀλιγοςὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰουδα. Sic Matthæus paraphrastes omni jure vertere potuit, οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰουδα. Plura addere supersedeo, quod nostrum Venerandum Collegam

Dn. D. Gottfr. Olearium in Obſervat. ad Matth. eandem ſententiam adſtruxiſſe meminerim. Obſtare equidem videtur, quod R. Tanchum, auctoritate Jonathanis nixus, voci צעיר *principis* ſignificatum tribuerit, quem & Pocok. in Porta Moſis p. m. 17. ſeqq. adſtruit. Sed exiſtimo R. Tanchumum mentem Jonathanis non eſſe aſſecutum. Fateor equidem Jerem. XLVIII, 4. צְעִירֶיהָ a Jonathane verti שלטוניהון *principes ipſorum*; Sed per hos intellexit Jonathan *minores principes* regni Moabitici. Vertit enim hunc verſum: *Fractum eſt regnum Moab, annunciarunt clamorem minores principes ejus.* Per *regnum Moab* intelligit *regem Moabiticum*, & per שלטוניהון *minores ejus principes*. Hoc probatur ex Zach. XIII, 7. quo R. Tanchum ſuam ſententiam etiam confirmare voluit. *Convertam manum meam ſuper* הצוערים quam vocem Chald. reddit על תנינים *ſuper ſecundos*. *Secundi* vero ipſi ſunt *ſecundi à Rege*, minores nempe principes. Ut ſenſus verſus illius ſit: Deum velle deſtruere *Regem* הָרֹעֶה *paſtorem*, & *gregem* הַצֹּאן & *minores principes* הַצֹּעֲרִים. Quia vero talis hujus

 dicti

dicti sensus in Ecclesia Judaica receptus quondam fuit, mirum non est, quod LXX. vocem illam per ποιμένας, Syrus per *Superiores*, Arabs & Theodotio per *pastores* &c. transtulerint. Nec opus est, ut Jonathanem הרעים loco הצערים legisse adstruamus. Sic mihi quoque non obstabit Auctor Glossarii Hebræo-Arabici a Pocokio adductus, qui צעיר per סולטן, *Soltan*, *dominatorem* transtulit. Hic enim meo judicio principem a Rege secundum & minorem intellexit, non supremum. Si hanc significationem etiam Michæ verbis applicabis, commodissimum sensum habebis. *Et tu Bethlehem Ephrata, an minor es princeps? ut numereris inter principatus Judæ?* Eique Matthæus optime respondet: *nequaquam es minimus &c.*

CAP.

CAP. XXV

DE DICTIS METRICIS PER ACCENTUS EXPLICATIS.

§. I.

Multa in Libris Metricis loca proſtant, quæ ſecundum accentus lecta, longe planiorem ſenſum exhibent, quam absque illis vulgo explicantur. Speciminis loco pauca producam, in quibus accentuum uſum oſtendam. Primum locum deſumam ex Job. XX, 17.

אַל־יֵרֶא בִפְלַגּוֹת נַהֲרֵי נַחֲלֵי דְּבַשׁ וְחֶמְאָה׃

Non videbit rivulos — flumina vallium [mellis & cremoris lactis —

Sophar loquitur de impiis, & in aliis malis, quæ eum premunt, numerat annonæ caritatem. Hinc dicit impium non viſurum eſſe rivulos. Vox hebræa

 פלגות

פלגות proprie *divisiones* denotat a פלג *divisit*, frequenter vero ponitur pro fossis & alveis, quæ prata, hortos & pascua dividunt, & in quibus aqua decurrit, quæ terram rigat. Sic Ps. LXV, 10. פֶּלֶג *alveus Dei plenus aquarum* | *parabis frumentum eorum.* ubi LXX. ὁ ποταμὸς *flumen.* נהרי sunt *flumina perennia*, quales Euphrates & Tigris, a quibus Mesopotamia ארם נהרים *Aramæa duorum fluviorum* dicitur, frequenter etiam de aliis minoribus fluminibus usurpatur. נחלי est a נחל *hæreditatem*, h. e. *valles, prata, aquis rigata, accepit.* Inde est נחל *vallis alveum habens*, h. e. pratum ad vallem, quod herbas teneras pro jumentis fert, ex quibus apes mel colligunt. LXX. vertunt Φάραγξ *vallis* Gen. XXVI, 17. & in quamplurimis aliis locis. In nostro loco transtulerunt νομὴ *pascuum. Mel* voci דבש optime respondet, quia uti dictum, apes mel ex optimis vallium & pratorum floribus colligunt. Inde נחלי דבש *valles mellis* dicuntur, LXX. etiam h. l. νομὰς μέλιτος *pascua mellis* vertunt. חמאה vulgo ab omnibus fere *butyrum* esse creditur, quod & LXX. βούτυρον verterint;

quos

quos secutus est Vulgatus. Multum vero abest, ut Græcorum *butyrum* nostro butyro respondeat; illorum enim βέτυρον vulgo est *λιπῶδες τῦ γάλακτος* *pinguedo lactis* h. e. cremor lactis die Saane von der Milch. Nec dissentit doctissimus Judæorum interpres Raschius, qui ad Gen. XVIII, 8. butyrum his verbis descripsit: חמאה שומן החלב שקולטין מעל פניו *Butyrum est pinguedo lactis, quam capiunt a superficie ejus.* Ex quo intelligimus, quod cremorem lactis descripserit. Quod hebræorum חמאה liquidum quid fuerit, ex Job. XXIX, 6. colligitur. Dicit ibi Jobus, quod tempore prosperitatis suæ tantam lactis & cremoris copiam habuerit, ut si pedes suos cremore lactis lavare voluerit, petra sua uberrimam copiam sibi effudisset. Non dubito verba Jobi hoc sensu transferre, quia paralella phrasis Deut. XXXIII, 24. eodem sensu recurrit: Vovet Moses Aseri, ut *pedes suos in oleum intingat*, h. e. uberrimam copiam lactis habeat, & omni prosperitate fruatur. Vid. R. Meir filius Arama in Meir Job fol. 85. col. 2. Ex his parere existimo, quid sint נחלי דבש וחמאה *Valles vel prata mel-*

lis & lactis. Mihi nihil aliud esse videntur, quam prata aquis rigata, & florum, ex quibus apes mel colligunt, nec non graminum, quæ vaccæ depascunt, & in lac optimum convertunt, fœcundissima. Hunc sensum referunt verba nostra, secundum accentos distincta, jam dispiciamus, quem ipsis Vulgatus tribuerit: Vertit ille: *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* Hic neglecto ‸ Atnacho construxit voces פלגות נהרי, cum vero posterior in statu constructo sit posita, adeoque necessario cum tertia sequenti נחלי sit construenda, multo rectius has voces accentuum Auctor distinxit. Ex posteriori itaque concludimus, quod accentuum Auctor sensum & vim verborum multo plenius penetraverit, quam Vulgatus accentuum imperitus.

§. II.

Ex accentibus quoque de Hebræorum Poesi antiqua judicium ferri potest: Si enim accentus, quod supra ostensum, rationem indicant, qua olim cantica sacra distincte lecta vel decantata sunt, non falluntur, qui ex illis veram poeseos hebrææ rationem restitu-

ſtituunt. Exiſtimo itaque in libris metricis quemvis verſum vel Merca Mapachato, vel Atnacho, vel Silluko finiri, nullo, neque ad Gomari metra, neque ad Clerici rythmos reſpectu habito. Eandem ſententiam tenet Magnificus noſter Lœſcherus in Originibus Hebrææ linguæ L. II, cap, IX. §. 6. *Qui recte omnia ponderant*, inquit, *vident Poeſin Ebr. conſtare breviſſimis tmemaſi, ita ut quælibet periodus longior tria habeat, (tertium enim format Merca Mahpachatus) brevior vero duo.* Si quæ vero ὁμοιοτέλευτα occurrunt, ea non ſtudio conquiſita, ſed caſu nata eſſe autumo, in lingua enim rythmorum feraci, qualis eſt hebræa, neceſſe eſt, ut quandoque voces rythmice ſonent. Exemplo rem clariorem reddam.

Pſ. II.

Quare | tumultuatæ ſunt gentes
Et populi | meditari ſolent vanitatem:
Conſtituerunt ſe | Reges terræ || & principes conſultarunt conjunctim
Contra Dominum | & contra unctum ejus:

Rumpamus | vincula eorum
Abjiciamus a nobis funes eorum:
Habitans in cœlis ridebit
Dominus | subsannabit eos:
Tunc loquetur ad eos in ira sua
Et in excandescentia terrebit eos:

Hieronymus, qui cum Josepho, Origene, Eusebio aliisque Patribus, Hebræorum cantica cum Flacci & Pindari metris composuit, (vid. Præfat. in Chronica Eusebii, Præfat. in Jobum, Epistola ad Paulam Urbicam &c.) versus nostros eodem modo distinxit, uti apparet ex libro Psalmorum, a Martionay ex antiquissimis codicibus secundum στίχους descripto. Apponam ejus versionem, quæ non prolixa est, ut veritatis convincamur:

Quare turbantur gentes,
Et tribus meditabuntur inania,
Consurgent reges terræ, & principes tractabunt pariter,
Adversus Dominum, & adversus Christum ejus.
Disrumpamus vincula eorum,
Et projiciamus a nobis laqueos eorum.
Habitator cœli ridebit,
Dominus subsannabit eos.

Tunc

Tunc loquetur ad eos in ira ſua.
Et in furore ſuo conturbabit eos.

Quam accurate hæc cum noſtrorum accentuum diſtinctionibus conveniant, ad oculum patet. Et quia tam Hebræi, quam Græci ſua carmina quondam cantarunt, Græcorumque cantandi ratio ab Hebræis fortaſſe ſuam originem traxit, exiſtimo, ſimilitudinem non tam in pedibus, quales hebræis nulli ſunt, quam potius in cantandi vel legendi ratione eſſe quærendam. Huc inclinare videntur Editores Biblioth. Hieron. in Prolegomenis. Pſalterium ſecundum Cod. Alexandrinum a Cl. Grabio per ςίχους deſcriptum eodem fere modo verſus diſtinxit, niſi quod duos priores verſus Hieronymi conjuncti, & tertius longior in duos ςίχους diviſus ſit. Qui error fortaſſe librariis eſt tribuendus, qui magis ſpatii, ob brevia græca vocabula vacui, & ob longiora arcti, quam exactorum ςίχων rationem habuerunt. Cl. Clericus ſuam, quam de rythmis Hebrææ poeſeos tenet ſententiam, præcipue ex h. l. probare auſus eſt, hinc in Tom. IX. n. 8. Bibliothecæ Univer-

ſalis

ſalis p. 245. partem hujus Pſalmi in ſequentes rythmos coegit.

Eth mosrotheMO,
Venaſchliche mimmennou,abotheMO,
Joſcheb baſchamajim jiſchAK,
Adonei jilAG
LaMO.
Az jedabber eleMO
Bappho oubacharono jebahaſeMO.

Videmus equidem rythmos ſed non conquiſitos, nec per totum Pſalmum continuatos, ſed quandoque coactos, & diſtinctam antiquorum Hebræorum lectionem turbantes, nec ullo antiquitatis teſtimonio probatos. Quod non ſint rythmi conquiſiti, ſed caſu facti, ob rythmicorum vocabulorum multitudinem huic linguæ propriam, monſtrabo ex prioribus Talmudis verbis in Tract. Berachoth fol. 2. col. a., quæ ſecundum leges a Clar. Clerico poſitas in rythmos redigam, quos nemo tamen facile ſtudio conquiſitos dixerit:

Memeſe korin es ſchemang bagnarabIM,
Meſchagna ſche-haccohanIM,
NicnaſIM,
Lechol betrumaSA,

Gnal

Gnal soph haaschmoRA;
HareschoNA.

Quod rythmi non per totum Psalmum II, continuentur ipse agnovit Clar. Clericus, quosdam enim versus tantum apposuit, omissis reliquis, quos in rythmos cogere non potuit. Ut hoc evidenter pateat, hebraicas voces latinis literis describam:

Lamma rágschu goim
Ulummim jehgu rik:
Jithjazzebu malche erez
Vrosenim nosedu jachad
Gnal Adonai Vgnal Meschicho:

Sic nec sequentia verba ejusdem Psalmi ὁμοιοτέλευτα admittunt.

Porro monstrabo quod rythmi in Clerici specimine sint coacti, versum enim octavum, ipsi quartum, qui cum antecedenti rythmo non consonabat, divisit, ut *jilak* cum *jiscbak* conveniret. Sed eo ipso antiquissimam & Esræ usitatam lectionem hujus versus turbat. Hebræorum enim accentus, sensusque ipse postulat, ut *Lama* cum antecedenti voce *jilag* legatur, cui per lineolam Makkeph annexa est. Et qualis quæso ex illa divisione oritur versuum

ferentia. Hieron. quoque, qui Pſalmos inſtar verſuum deſcripſit, iisdem vocibus verſus finivit, quas Auctor accentuum Atnacho vel Silluko notavit. Teſtis eſt Hieron. Bibliotheca a Cl. Martionay Pariſiir edita. Ex his tuto colligitur, quod Pſalmus hic LXX. ſenum & Hieron. ætate eodem modo lectus ſit, prout hodie ſecundum accentus legendus eſt. Si vero Pſalmus ſecundum accentus legitur, nulli, niſi caſu nati, rythmi ſuperſunt. Sequitur ergo non ſine magna probabilitatis luce, quod Hebræi antiqui nullos conquiſitos habuerint rythmos, ſed tantum ſubliminiores ſententias, & breviores ςίχȣς intenderint, quos melodia quadam decantarunt. Nunc addam Clar. Clerici verſionem, quæ hebraice verſa rythmos exhibet, ſed neque Accentuum, neque LXX. ſenum, neque Hieron. rationem habet, prout legitur Tom. IX. §. X. Bibliothecæ Univerſalis p. 184.

הללויה
הללו־אל בקדשו
הללוהו ברקיע עזו
הללוהו בגבורותיו

הללוהו

הללוהו כרב גרולותיו
הללוהו בתקע שוצר
הללוהו בנבל וכנוח
הללוהו
בתף ומחול הללוהו
במנים ועגב הללוהו
בצלצלי שמע הללוהו
בצלצלי תרועה
כל הנשמה
תהלל יה
הללו יה

Halleluja,
Laudate Deum in sanctitate sua,
Laudate eum in expansione roboris sui,
Laudate eum in fortitudinibus suis,
Laudate eum secundum magnitudines ejus,
Laudate eum sono buccinæ.
Laudate eum lyra & cithara,
Laudate eum,
Tympano & chorea Laudate eum,
Chordis & organis Laudate eum,
Cymbalis resonantibus Laudate eum.
Sistris inæqualibus,
Omne quod spirat.
Laudet Dominum.
Laudate Dominum.

Non diffiteri possum adesse rythmos, sed

 non

non conquiſitos & intentos, ſed potius caſu factos. Hæc enim lingua ad rythmos quaſi nata, multos alios admittit, ex quibus unicum ſpecimen addere licebit.

הללו יה הללו
אל בקדשו הללוהו
ברקיע עזו הללוהו
בגבורתיו הללוהו
כרוב גדלו הללוהו
בתקע שופר הללוהו
בנבל וכנור הללוהו
בתוף ומחול הללוהו
במנים ועגב הללוהו
בצלצל שמע הללוהו
בצלצלי תרועה
כל הנשמה
תהלל יה
הללו יה

Sic decem priores & quatuor ultimi verſus conſonant, ſed rythmis ab illis Cl. Clerici diverſiſſimis, & abſque ulla vocum immutatione factis, nihilominus tamen neque a Pſalte, neque ab antiqua Eccleſia Judaica agnitis. LXX. ſenes enim, Jonathan

than & Hieron. voces aliter legerunt, nec ullos rythmos attenderunt. Nemo itaque, neque ipſe Cl. Clericus poſtulare poteſt, ut ejus rythmi pro veris habeantur, quia alii proſtant, iisdem legibus adſtricti. Præterea multa deſiderantur in ejus rythmis, primo quod ſine ullo antiquitatis teſtimonio in verſu quarto vocem גדלו, a LXX. Jonathane & Hieron. in ſingulari verſam, in pluralem גדולותיו rythmi gratia transmutaverit, quam licentiam nemo Criticorum ipſi facile conceſſerit. Deinde dure quoque ſonat, quod כִּנּוֹר & שׁוֹפָר in rythmum coegerit, qui nullam in orientalium auribus gratiam habet. Porro, verſus ſeptimus unica voce conſtans non tolerandus erit, quod ſocii ejus vel duabus vel tribus vocibus abſolvantur. Mihi verſus ille coactus videtur. Nec variatio illa placet, quæ modo הללו præponit in ſex prioribus verſibus, modo poſtponit, in 8, 9, 10. verſu. Denique nullo modo libertas, Critico concedenda eſt, ut ex hypotheſi nondum probata, nec hactenus probabili, vocum ordines, earumque formas immutare vel emendare audeat; nulla ratione neque

antiquissimarum versionum LXX. senum, Symmachi &c. vel Vulgati & Hieronymi habita. Multo itaque felicius Hebræorum poesis ex accentibus restituitur, si modo tot voces in unum versum colligantur, quot [illegible], [illegible] vel [illegible] finiuntur. Illi enim accentus tot voces exhibent, quod ad brevem sententiam requiruntur, & uno versu commode conjunctim cantari vel recitari possunt,

§. IV.

Præter eum, quem accentibus asseruimus usum, in lectione codicis hebræi certissimum, alius quoque prostat in Critica sacra non contemnendus. Qui ex LXX. senum versione codicem hebræum emendare audent, frequenter codicem hebræum mutilum esse clamant, vocesque amissas ex LXX. senum versione restituunt. Sed eo in casu sæpius ex accentibus aliisque indiciis collegi, quod nulla vox in versibus dubiis perierit. Exempli loco apponam Ps. VII, 12. quem Cl. Clericus nimis audacter ex Versione græca emendare ausus est, Tom. IX. Biblioth. Univers. p. 249.

אלהים

אֱלֹהִים שׁוֹפֵט צַדִּיק וְאֵל זֹעֵם בְּכָל־יוֹם׃

Deus | est judex justus & Deus for-tis | indignans toto die.

Ut Cl. Clericus tam rythmum poeticum quam sensum convenientiorem reperiret, textum hebræum, qui ipsi mutilus videtur, ex LXX. senibus ita transfert:

Deus est judex justus, longanimis, & qui non indignatur quotidie.

quæ versio fere convenit cum hac græca,

ὁ θεὸς κριτὴς δίκαιος καὶ ἰσχυρὸς καὶ μακρόθυμος

Μὴ ὀργὴν ἐπάγων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν.

Deus judex justus & fortis & longanimis

Non iram adducens per singulos dies.

Existimat itaque Clar. Vir, quod si textui hebræo vox *longanimis* inseratur, non solum rythmus poeticus restituatur, sed & LXX. senum versio confirmetur. Haud difficulter intelligitur, quam vocem hebræam restituendam esse putet, talis enim sit necesse est, quæ cum [illegible] consonet.

Fortasse non fallitur, qui eundem רחום *misericors* subintellexisse, dicat. Ut quondam hæc hebræa lecta sint:

אלהים שופט צדיק ורחום
ואל זועם בכל יום :

Sed primo omnium loco observandum est, quod ipse Clar. Vir LXX. senum versionem mendosam h. l. agnoscat, dum enim eam sequitur, vocem ἰσχυρὸς *forcis* omittit, quam superfluam esse judicavit. Sed plura menda in hoc versu superesse videntur; quæ removenda, antequam senes illos sequi licet. Ponamus primum Auctorem versum sic transtulisse:

Ὁ Θεὸς κριτὴς δίκαιος
Μὴ ὀργὴν ἐπάγων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν.

Ita enim reddit Syrus, qui alius LXX. sequitur: *Deus judex justitiæ, non irascitur singulis diebus.* Quæ versio vel eam ob causam pro vera est habenda, quod easdem hebræas literas, licet non easdem vocales admittat:

אֱלֹהִים שׁוֹפֵט צַדִּיק וְאַל זוֹעֵם בְּכָלָה
יוֹם :

Facile fieri potuit ut lector vel librarius, cui hæc

hæc non satisfecerunt, vel ex Judæorum lectione vel codice punctato cognoverit, quod minus recte וְאַל *& non* legatur, sed potius וְאֵל *& fortis* legendum sit, ideo in margine adscripsit καὶ ἰσχυρὸς *& fortis*. Alius librarius, qui ex lingua Chaldaica sciebat, quod צַדִּיק significet *justum* & *misericordem*, margini apposuit καὶ μακρόθυμος *& longanimis*. Tandem omnia confuse satis textui inserta sunt prout hodie legimus. Quare mihi non satis tuto codex sacer à Cl. Clerico ex LXX. senum corrupta versione emendatus videtur. Sed posito non vero concesso, in hebræo codice extitisse aliquam vocem, quæ græce *longanimis* sonaret, ea tamen Cl. Clericus suum rythmum nunquam supplebit. Μακρόθυμος enim nullibi in scriptura sacra respondet hebræo רחום *misericors*, sed potius τῷ ארך אפים Exod. XXXIV, 6. Num. XIV, 18. Neh. IX, 17. Ps. LXXXV, 14. CII, 8. Prov. XIV, 31. XV, 19. XVI, 32. &c. vel τῷ ארך רוח Kohel. VII, 9. Dan. IV. 24. vel τῷ יקר רוח Prov. XVII, 28. Sed nullum horum rythmice sonabit cum ימים *dies*. Denique Cl. Clericus facile cognoscere potuit, quod LXX. Viralis versionis

auctores, quicunque etiam fuerint, in posteriori membro lectionis vitium commiserint, dum loco וְאֵל *& Deus*, legerunt וְאַל *& non*. Nam genius linguæ non patitur, ut partic. וְאַל Participio præponatur, notum enim est, quod tantum Futuris, ut & Præteritis & Imperativis 1. Sam. XXVII, 10. Am. V, 14. si Futurorum naturam induant, præfigatur. Vid. Glass. L. III. Tr. V. Can. XVIII, p. m. 984. Nold. Concordant. Annot. 262. p. 815. & Mercer. in Lex. Ex hac observatione ad oculum patere existimo, quod auctores versionis græcæ, quæ LXX. Virorum nomine circumfertur, non ubique omnes boni interpretis partes egerint, sed genii linguæ hebrææ ignari fuerint. Si dicas LXX. senibus Hebræam linguam quasi vernaculam fuisse; eosque genium ejus exacte tenuisse; respondeo, quod si LXX. contra genium linguæ peccasse non supponendi sunt, necessario sequi, quod loco וְאֵל legerint וְאַל καὶ ἰσχυρὸς, ὀργὴν ἐπάγων, καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, *& Deus fortis, iram adducens omni die*. Quæ versio nostræ hodiernæ lectioni accurate respondet, codicisque integritatem adstruit. Retineamus

mus itaque sensum in codice hebræo incorrupto nobis exhibitum, nec curemus Clar. Clerici objectionem, quod hæc iræ divinæ descriptio cum aliis scripturæ locis non conveniat, quæ Deum potius maxime misericordem & placabilem appellet, cujus ira ad momentum ardeat Ps. XXX, 6. Loca enim, quæ de misericordia divina agunt, non componenda sunt cum iis, quæ ejus justitiam vindicativam describunt. Prostant etiam loca, quæ iram divinam gravissimis verbis exprimunt v. g. Job. IX, 13. Ps. XI, 10. Jer. X, 10. Neh. I, 6. Sapient. V, 7. *ira ejus non desinit.* Qui justitiam Dei vindicativam, Deoque essentialem admittit, ei hæc Psaltes verba, nihil durius sonabunt.

§. V.

Locus vexatissimus Ps. XVI, 1. 2. 3. occurrit, quem Interpretes in varios sensus traxerunt. Alii cum Clar. Clerico verba hebræi codicis plane immutarunt, huncque locum in mendo jacere existimaverunt. Eruam itaque sensum ab accentuum Auctore intentum, ut cognoscamus,

quo jure ille locus corruptionis postuletur.

1. Clynodium Davidis | *custodi me o Deus* | *quia confidi in te* |

2. Dixisti (o anima mea) ad Dominum | *Dominus meus tu es* | *delectatio mea non est extra te.*

3. Super sanctis | *qui in terra sunt* | *sed in excelso est omnis delectatio mea,*

4. Multiplicabuntur dolores eorum | *qui alium amplectuntur* | *ego non libabo libamina eorum ex sanguine* | *Ego non feram nomina eorum* | *super labiis meis.*

Ex ambigua vocis כתם significatione, ambigua etiam est vox מכתם. Apud Chaldæos & Syros כתם est *signare*, inde Syris est ܟܘܬܡܐ *macula* Ps. XXI, 13. uti & Chald. כתמא Jer. II, 22. Hanc significationem respexisse videntur LXX. senes, quibus hæc lingua erat notissima, imo vernacula. στηλογραφία enim est aliquid stylo scriptum vel signatum. Hos secutus est Vulgatus: *sculpturam rectam* vertens.

Non

Non opus ergo est, ut cum aliis dicamus, LXX. senes loco מכתם legisse מכתב quod quidam statuunt. Alii inter quos Paulus Burgensis significationem ex כתם *aurum, pretiosum*, deduxerunt, existimantes Psalmum dici aureum, uti Pythagoræ *carmina aurea*, vel Alis proverbia *aureolum morum* vocantur. Si primariæ significationi vocis aliquid tribuendum, mallem ex כֶּתֶם derivare, quæ vox in hebræo codice *aurum*, Job. XXVIII, 19. Cant. V, 22. Dan. X, 5. *argentum* Thren. IV, 1. *lapidem pretiosum* Job. XXX, 24. Es. XIII, 12. *vestitum deauratum* Ps. XLIV, 11. LXX. senibus significat. Primaria vocis significatio ap. Arabes prostare videtur, كَتَمَ enim est ipsis *abscondere*, *occultare*, *abdere*. כֶּתֶם itaque est *res pretiosa quæ absconditur*. Ex hac significatione מכתם erit canticum pretiosum, a Davide magni æstimatum, & probe custoditum. Huc respexit B. Lutherus vertens: ein gülden Kleinodt. Uti enim pii principes quædam cantica præ aliis æstimare solent, quibus delectantur, quæque sæpe cantant; Sic & Davidi olim canticum hoc in magno pretio est habitum. Hanc sententiam

Aben

Aben Esra approbat: מזמור נכבד כמו כתם פז h. e. Mictam, est canticum magni æstimatum, uti aurum optimum Cant. V, 11. Primum versum, qui nulla difficultate laborat prætermittam, ut reliquos fuse explicare possim. Prima vox in secundo versu est אָמַרְתְּ *dixisti* in fœm. quæ indicat Davidem animam suam loquentem introducere, quare & ea h. l. subintelligenda est. Vel si mavis enallage generis est admittenda, qualis occurrit de eodem Davide II. Sam. XIII, 39. ותכל דוד המלך *& cessavit David rex persequi Absolonem*, pro ויכל *& cessavit anima Davidis persequi Absolonem.* LXX. itaque sensum magis, quam verba reddunt, vertentes *dixi*, quos Vulgatus uti alias sequitur. Chaldæus nostram sententiam confirmat vertendo: *Locuta es anima mea coram Domino.* Maxima difficultas latet in his verbis: טובתי בל עליך quæ Vulgatus cum LXX. vertit: *quoniam bonorum meorum non eges.* Sed eos sensum Davidis non assecutos esse existimo, partim quod versiones illæ a verbis hebræis nimis recedant, partim quod non appareat ratio, cur a fiducia, quam in solum Deum collocasse

locasse David confitetur, ad bona, quibus Deus non egeat, transitus fiat. Multo aptior illa est explicatio, quæ fiduciam in Deum collocatam etiam in his verbis continuat. Hæc vero illa erit, quæ transfert: *delectatio mea non est extrà vel præter te*, h. e. ego nulla re delector, quæ extra te est. Quod טובתי *delectationis* significatum contineat, extra dubium est positum. LXX. vocem טוב frequentissime vertunt χαίρω *gaudeo* Gen. XLV, 16. & ἀγαθύνω gaudeo, Jud. XVI, 26. c. XVIII, 20. XIX, 6. 9. 22. Ruth. III, 7. 10. 1. Reg. II, 34. ut plura alia prætermittam, sic & εὐφροσύνη Es. LXV, 14. Esth. VIII, 17. Sic 1. Sam. XXVI, 36. de Nabale dicitur; *cor Nabalis erat* טוב *lætum super se*. Contextus quoque talem significationem requirere videtur, quia in sequenti versu subjicitur, *in magnifico Deo omnis delectatio mea*, de quibus infra fusius agetur. Particulæ בל negationis significationem tribuo, quam ubique obtinet. In altera particula על præcipua difficultas latet. Sed non dubito eam, *præter* vel *extra* vertendam esse, multorum locorum a Noldio in Concord. p. 703. adductorum serie inductus. In primo præce-

pto

pto Exod. XX. v. 3. dicit Deus: *Non sint tibi alii Dii* על פני *præter* vel *extra me*, quod B. Luth. reddit: neben mir. Eodem modo legimus Gen. XXXI, 15. *aut si acceperis uxores* על בנותי *præter filias meas*. Plura apud Noldium legi possunt. Hæc vocum consideratio nos ad verum Davidis sensum ducit, inquientis: *Tu o anima mea dixisti ad Dominum, tu es Dominus meus, mea delectatio non est præter vel extra te*, h. e. ego te solo Domino meo delector. Ex hujus versus sensu, sequentis quoque versio pendet, qui cum hoc arcte cohæret. In sequenti enim explicat David in quibus non delectetur. Idololatræ, de quibus David in 4to versu loquitur, suos colebant demortuos, in quorum honorem & memoriam simulacra erigebant, festos dies instituebant; inque iis sese maxime hilares gerebant. Horum mores imitari, sanctosque populi Israelitici majores, Abrahamum, Isaacum, Jacobum &c. cultu divino honorare David noluit, quo suam fiduciam in solum Deum collocatam esse ostenderet. Ideo dixit: *delectatio mea non est extra te, in sanctis qui in terra sunt*. Quasi dice-

diceret, ego morem idololatrarum non imitor, qui suam delectationem extra se in demortuis suis majoribus quærunt. Licet enim hæc verba in duos versus Silluko sint distincti, nihilominus tamen duo & plures versus, uti supra monitum, quandoque connexo sensu sunt explicandi. Deinde Præfixum ל quod ex על est decerptum, frequentissime *super* vel *in* significat, uti ex Noldio apparet. Quod קדושים h. l. sint *sancti demortui*, etiam Rasche confitetur *Sancti sunt, qui sepulti in terra, & qui ambularunt coram te in veritate*, quamvis reliquam ejus explicationem meam non faciam. Reliquorum verborum sensus, pendet a voce ואדירי quæ varie redditur. Vulgatus & LXX. ejus loco legerunt האדיר, ἐθαυμάστωσε *mirificavit* vertentes, quos h. l. sequi non licet, si alia explicatio prostat. Jonathan transtulit, *& magnifici in operibus bonis*. Primo loco tenendum, quod hæc vox cum antecedenti לקדושים non cohæreat, quia non legitur ולאדירי *& in, vel super magnificis*, sed tantum scriptum ואדירי. Sed quia cum antecedenti non cohæret, ו Vau non *&*, sed potius *sed*

sit ver-

vertitur, de quo videatur Noldius, qui vel mille loca p. 300. 301. & 302. collegit. אדיר LXX. vertunt *θαυμαστὸς admirabilis* Pſ. VIII, 1. XCII, 6. *θαυμαστάζω* Pſ, XV, 2. uti jam dictum. *ὑψηλὸς* excelſus Eſ. X, 34. &c. Eadem vox ſæpe Deo Iſraelis tribuitur, v. g. Pſ. VIII, 1. מה אדיר *quam admirabile, vel, quam excelſum eſt nomen tuum in omni terra.* Jeſ. XXXIII, 21. *Quia vere ibi* אדיר *excelſus Dominus.* Sic quoque Jer. XXX, 21. I. Sam. IV, 8. legitur etiam אלהים אדירים *Deus excelſus, qui percuſſit Ægyptum.* Nullus dubito Davidem h. l. de eodem excelſo Deo Iſraelis loqui, in quem ſuam fiduciam collocavit, & in quo ſolo delectatus eſt. Vertenda ergo ſunt verba: *Sed in excelſo Deo omnis eſt delectatio mea.* Verto vocem illam in ſingulari, licet ob idiotiſmum linguæ in hebræo אלהים ſit ſubintelligendum. Et quamvis אדירי in ſtatu conſtructo plurali poſitum ſit, hoc tamen nihil extraordinarium eſſe Kimchi in Commentario ſuo docuit. Haud raro enim in celeriori vocum lectione Status Conſtructus pro Abſoluto ponitur, prout docet R. Leb in Binjan Schlomo fol. 41. Quare tandem

tria

tria illa commata hunc ſenſum habebunt. *Cuſtodi me Deus, quia confidi in te. Dixiſti, o anima mea, ad Dominum, Dominus meus tu es, delectatio mea non eſt extra te, in ſanctis, qui in terra ſunt; ſed in excelſo, (magnifico Deo) eſt omnis delectatio mea.* In ſequenti verſu contra idololatras inſurgit, qui non in vero Deo Iſraelis, ſed in idola fiduciam ponunt. *Multiplicabuntur dolores eorum, qui alium amplectuntur.* Vulgatus vertit. *Multiplicata ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*, quæ cum LXX. conſentiunt. Chaldæus vero tranſtulit: *multiplicant idola ſua, & poſtea feſtinant, ut afferant dona ſua.* Sed quia prius verbum in Fut. poſterius in Præterito poſitum eſt, rectius vertitur, *multiplicabuntur dolores eorum, qui alium (Deum) ſequuntur.* Diſſenſus ortus eſt ex voce עצבות quæ & *idola* & *dolores* ſignificare poteſt. Ratio, cur dolor & idolum ex eadem radice deſcendant, non eadem a Philologis perhibetur, varias collegit Leigh in Crit. ſub hac radice p. m. 174. Mihi videtur, quod עצב proprie *comprimere* ſignificet; Sic Kohel. X, 9. qui *transportat lapides*, יעצב בהם *premetur ab eis.* Hinc LXX.

T Gen.

Gen. XXXIV, 7. per κατανύσσειν vertunt. Deinde significat *formare*, quia forma alicui rei imprimitur. Job. X, 8. *manus tuæ* עצבוני *formarunt me*, ubi LXX. ἔπλασάν με. Ob eandem rationem *idolum* dicitur עצב, quia ipsi forma creaturæ cujusdam inducitur. Sic LXX. pluribus in locis εἴδωλον reddunt 1. Reg. XXXI, 9. I. Paral. X, 9, Ef. X, 11. Hos. IV, 18. &c. quandoque γλυπτὸς *sculptile* Pf. CV, 34. 36. Ex eadem significatione etiam frequenter est, *dolere*, quia compressus dolet. Inde עצב est λύπη *tristitia* Gen. III, 16. 17. V, 29. Prov. X, 11. 23. XV, 14. &c. In præsenti loco denotabit, *dolores*, quod ex terminatione fœm. colligitur, quæ in plur. semper dolorum significationem retinet, confer si placet Job. IX, 28. Pf. CXLVII, 3. Si vero terminatio Masc. accedat, plerumque *idola* significat. Hos. IV, 17. VIII, 4. XIII, 2. II. Chron. XXIV, 18. Pf. CXXXV, 15. Sequens vox מהרו etiam diversimode vertitur, quibusdam *festinandi*, aliis *dotandi* significatio placuit. Sed vox proprie *sponsum esse*, vel *virginem in uxorem ducere* significabit, inde מהר *dos*, donum *sponsæ datum*. Sic LXX. Φερνὴ reddunt, Gen. XXXIV, 12. Ex. XXII, 16. 17. 1. Reg.

XVIII

XVIII, 25. Ex hac significatione vox hæc explicanda est, quando in Kal occurrit, v. g. Exod. XXII, 16. מָהֹר יִמְהָרֶנָּה לּוֹ לְאִשָּׁה *alligando alliget eam sibi in uxorem*, vel *ducat eam in uxorem*. In Piel est *festinare, alacrem esse* instar sponsi, cujus significationis quam plurima loca prostant, & a LXX. per σπεύδω *festino* Gen. XVIII, 6. ταχύνω *accelero*. Gen. XVIII, 7. Pſ. XV, 3. redditur. Quia in nostro loco in Kal occurrit, aptissime per *alligare* vel *addicere se alicui idolo* vel *sponsum alicujus idoli esse*, vertitur. Sic R. Aben Esra והוא מגזרת מהר ימהרנה אשר יתקשרו אל עם אחר h. e. *hoc verbum significationem suam accipit ex* Exod. XXII, 16. & R. Salomo מהרו לשון מוהר דואירי"נט בלע"ז: h. e. *Vox* מהרו *accipit significationem ex* מוהר *dote douvaire in lingua gallica*. Sic quoque R. D. Kimchi: *Forte etiam significatum habet nominum* מתן *doni &* מוהר *mohar dotis, uti Ex. XXII, 16. dotando dotabis eam.* Simili modo in Mosne Zedek explicatur: אחר מהרו · אותם שמקדשים עכו"ם h. e. *de illis dicitur; alii se alligant, qui sanctificant idola.* Sæpissime fœdus religionis Deum inter & homines pactum

cum conjugali vinculo comparatur, & qui a vero Deo descifcunt, & idola colunt, scortari cum aliis Diis dicuntur. Ex hoc apparet, quod David religioni veræ falsam opponat, postquam enim de sua fiducia in verum Deum collocata dixerat, pergit ad idololatras, qui non in Deum verum, sed in idolum sperant, eique se adjungunt, fidem promittunt, & dotis loco libamina libant, & sic idolorum sponsi fiunt. Hæc explicant satis sequentia: בל אסך נסכיהם מדם *non libabo libamina eorum ex sanguine.* Respicitur ad cultum idololatrarum, qui Deos vel dæmones sibi conciliaturi, animalia mactabant, eorumque sanguinem in foveam effundebant, & ad sanguinem illum comedebant. Quod prolixe refert Maimon. More Neboch. P, III. cap. 46. Multi enim gentilium, *Deos*, ὡς ἀτμοῖς θυσιῶν, τοῖς ἀπὸ ζώων μάλιστα δελεάζονται *nidoribus animalium præcipue inescari in sacrificiis*, refert Jamblich. de Myst. Sect. V. cap. X. p. m. 125. Hanc Deus improbaturus sententiam dixit: Ps. L, 13. *putasne me vesci carne taurorum, aut bibere hircorum sanguinem.* David itaque solum DEUM verum agnoscens ejusmodi conventibus

gen-

gentilium intereſſe nolebat. Inde eſt quod LXX. vertunt *ἐ μὴ συνάγω τὰς συναγωγὰς ἀυτῶν ἐξ αἱμάτων*, *non congregabo congregationes eorum ex ſanguine*, h. e. non convocabo populum ad ejusmodi gentilium libamina. Uti vero in ejusmodi cultu idololatræ Deos ſuos carminibus celebrabant, quod in Pirke Elieſer cap. XLV. legimus: *Ægyptii extollunt numina ſua, cantillant & pſallunt coram iis*; Sic e contrario David idolorum cultum deteſtaturus, eorum nomina non vult in ore gerere. *Non feram eorum nomina ſuper labiis meis.* Niſi totus fallor, etiam v. 5. ex gentilium idololatria lucem accipit. Colebant gentiles *Fortunam*, quam מני appellabant, uti ex Eſ. LXV, 10. apparet. *Præparant* לגד *dæmoni menſam*, *& implent* למני *Fortunæ libamen*, ſic LXX. reddunt Jeſaiæ verba. מני omnium conſenſu eſt a מנה *numeravit*, quod LXX. ſenes quandoque reddunt *δίδωμι do* Job. VII, 3. *παραδίδωμι trado* Eſ. LXV, 11. Unde videtur originem trahere מני *Fortuna* Dea, quæ hominibus portionem bonorum dinumerat, & tradit. Inde etiam מנת eſt *portio bonorum* a Deo homini conceſſa,

quam gentiles a fortuna traditam sibi, persuasi fuerunt. Sed nolò hæc fusius persequi, adducam potius Cl. Clerici versionem, quæ multum a nostra recedit. Cum enim Cl. Vir sensum commodum non statim inveniret, textum in mendo jacere existimavit, quem ex concepta Hebræorum poesi rythmica restituere tentavit, uti ex Tomo IX. Biblioth. Universalis p. 248. apparet. Ibi quatuor nostris versiculis sequentem sensum tribuit: *Custodi me Deus, quia spero in te, dixi ad Dominum, tu es Dominus, omnis mea fiducia est in te. In magna multitudine abeunt, ad cynædos qui sunt in terra, magnates maxime delectantur in iis, multiplicarunt idola alius Dei cum amplexu &c.* Non adjunxit ille verba hebraica, quæ olim in textu extitisse existimat, sed ex versione facile cognoscimus, quæ hebræa rythmica respondeant. Apponam illa, quo eo felicius de emendatione ejus judicium ferre queamus:

שמרני אל כי חסיתי בך
אמרתי ליהוה אדני אתה
מחסי כל עליך׃

לקדשים

לקרשיכם אשר בארצך הסו
ואדיריכם כל חפציו בםו
הרבו עצבותכם אחר במהר וגו'

Qui discrepantias ab hebræo textu cognoscere cupit, evolvat illum, & cum his conferat. In sex στίχοις tredecim literas mutatas in collatione invenies. Firmiter persuasus sum, quod tanta immutandi licentia Critico in profano auctore non concedatur. Si אמרתי excipias, quod LXX. senes, & Vulgatus habita idiotismi ratione in versionibus reddunt; nullum vestigium vel ap. LXX. senes, vel Vulgatum, vel Jonathanem invenies. Sola ratio quæ emendationes, quas putat, produxit, est rythmica hebræorum poesis, & sensus in versionibus aliis obscuritas. Sed sensus obscuritas, ni fallor, sublata est, si nostram versionem, quæ proprietate & ordine vocum, prout in textu jacent, nititur, admittat. De concepta vero poesi rythmica supra fusius egi,

§. VI.

Supra sæpius ostensum est, quod LXX. senes & Hieron. in versuum distin-

ctionibus cum hebræo codice concordent. Sed id non eo sensu accipiendum est, quod nullibi dissentiant, inveniuntur omnino loca quædam, ab Hieron. & LXX. senibus diverso modo distincta. Adducam ergo aliquem & disquiram, quæ distinctio sensui convenientior sit, ut appareat, utrum accentuum distinctiones, prout in nostro codice prostant, erroris accusari possint.

Ps. XLII, 6. 7.

מַה־תִּשְׁתּוֹחֲחִי ׀ נַפְשִׁי וַתֶּהֱמִי עָלָי הוֹחִלִי
לֵאלֹהִים כִּי־עוֹד אוֹדֶנּוּ יְשׁוּעוֹת פָּנָיו׃
אֱלֹהַי עָלַי נַפְשִׁי תִשְׁתּוֹחָח עַל־כֵּן אֶזְכָּרְךָ
מֵאֶרֶץ יַרְדֵּן וְחֶרְמוֹנִים מֵהַר מִצְעָר׃

Cur humilias te | anima mea || & strepis in me — spera in Deum | nam adhuc celebrabo eum — & salutem faciei ejus —: Mi Deus || in me quidem | anima mea se humiliare solet — Sed || recordabor tui | ex terra Jordanis — & Hermonim | ex monte minori :

Hie-

Hieron. versio Ps. XLI. v. 6. 7.

Quare tristis es anima? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus?

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis & Hermonim a monte modico.

Versus sextus in hebræo codice finitur in פניו *faciei ejus*, sed in Hieron. vox אלהי *Deus meus* ex sequenti versu abrepta, & antecedenti est annexa, uti ex collatione constat. Idem in LXX. senum versione factum. Non miror errorem in utraque versione commissum, quia in fine ejusdem Psalmi leguntur verba פָּנַי וֵאלֹהָי *celebrabo salutes faciei meæ & Deum meum*, quæ eos seduxerunt, ut eadem in nostro versu legerent. Si antiquorum Judæorum regulas, secundum quas codex hebræus exaratus erat, contemplamur, facillime talem errorem cemmitti potuisse observabimus. Describitur ea Menachos cap. III, fol. 30. col. a. בין שיטה לשיטה כמלא שיטה ובין תיבה לתיבה כמלא אות קטנה ובין אות לאות כמלא חוט השערה:

Inter lineam & lineam sit spatium lineæ, & inter vocem & vocem sit spatium literæ minoris, & inter literam & literam sit spatium capilli. Eadem leguntur in Arba Turim Hilchos Sepher Thora num. 274. fol. 252. col. a. & apud Maimon. Sepher Thora cap. VIII. fol. m. 94. col. b. Ubi nulla versus distinguendi ratio præscribitur. Hodierni Judæi in MStis codicibus versus, spatio unius literæ quadratæ distinguunt, uti Cl. Jablonski in præfat. Biblior. monuit. Præterea in quavis linea describuntur triginta literæ, & spatia inter sectiones majores & minores tam apertas quam clausas a Maimon. l. c. cap. VIII, & seqv. accurate descriptas & enumeratas, relinquuntur. LXX. senes itaque & Hieron. tali codice non punctato instructi facile loco אלהי פניו legere potuerunt ואלהי פני vav ו a פניו avulso & τῷ אלהי addito, uti ex versionibus eorum constat. Si vero lectionem Esræ & Judæis secundum accentus usitatam inspicimus, eam erroris accusare non possumus, sensus enim horum, illo LXX. senum & Hieronymi longe est commodior, & vocum structura elegantior. Si enim commode

de dicitur אור פניך *lux faciei tuæ*, h. e. lux a te relucens Pſ. IV, 7. Pſal. XLIV, 4. Pſ. LXXXIX, 15. cur non etiam toleretur phraſis ישועות פניו *ſalutes faciei ejus*, h. e. ſalus ab eo veniens. Deinde eleganter quoque אלהי *Deus mi* in Vocativo, ut loquuntur, caſu, ſequenti verſui præponitur, quia in ſequentibus dicitur: *Recordabor tui.* Commodiſſimus enim eſt ſenſus: *Deus mi, in me anima quidem ſe humiliat, ſed ego recordabor tui.* Et quamvis in verſu ultimo Pſaltes dixerit: *Ego adhuc celebrabo ſalutem faciei meæ & DEUM meum*, h. e. ſalutem meam, & Deum meum, qui mihi eam largitus eſt; Nemo tamen certo affirmabit, quod Pſaltes eadem verba hic repetere voluerit. Quod vero LXX. ſenes ſæpiſſime vim & phraſin hebrææ linguæ, quæ ipſis non amplius erat vernacula, non aſſecuti ſint, & facile aberrare potuerint, in confeſſo eſt. Quodque Hieronymus LXX. viros duces frequenter ſequatur, nemo facile negabit. Nimis feſtinanter ergo in gratiam LXX. ſenum & Hieronymi a Codice hebræo punctato receſſit Clar. Grabius Cap. II. §. 21. Proleg.

leg. Tomo ultimo libris Metricis præmissorum.

§. VII.

Locus alius in quo LXX. senes & Vulgatus a veritate hebraica aberrarunt, occurrit Pſ. L, 23.

זֹבֵחַ תּוֹדָה יְכַבְּדָנְנִי וְשָׂם דֶּרֶךְ אַרְאֶנּוּ בְּיֵשַׁע אֱלֹהִים׃

Sacrificans confessionem | *honoret me* —— *& qui disponit viam* — *ei monstrabo* | *salutem Dei*

Observatis accentuum distinctionibus omnia fere sua luce radiant. Quod enim Futur. יכבדנני Conjunctivo & Optativo latine exprimam, contextus & linguæ genius requirit. שם דרך *disponens viam* recte explicatur in Mosne Zedek ad h. l. השב אלי בכל לבו *revertens ad me toto corde*, a quo Aben Esra non recedit המתברר לו הדרך *purificans sibi viam*. *Viam* enim *vivendi rationem* hebræis sonare, vel ex Jeſ. VIII, 11. aliisque patet, ut adeo *ponere viam suam* de pœnitentia

&

& vita secundum legem divinam instituta, merito intelligatur. Altera phrasis אראנו בישע *videre ei faciam in salutem*, nihil quoque obscuritatis continet. Sic supra v. 11. dictum est: *Dominus* יַרְאֵנִי בְשֹׁרְרָי *inspicere me faciet in hostes meos*, h. e. Deus efficiet ut videam hostes meos. Sic quoque Deut. I, 33. *Salus, quam Deus piis conspiciendam exhibebit*, h. l. justificationem a peccato & morte, nec non vitæ æternæ prægustum, imo & ejus promissionem denotabit. Conf. Es. XII, 2. cap. XXXV, 14. Sensus ergo versiculi erit: *Qui mihi confiteri, cultumque mihi gratum exhibere vult, ille honoret me; & qui recte disponit viam suam, ei conspiciendam præbebo salutem meam.* Hunc sensum confirmat collatio versiculi 16. & 17. Ubi Deus cultum hypocriticum reprehendit, *cur enarras*, inquiens, *statuta mea, & circumfers pactum meum in ore tuo, & tamen odisti disciplinam &c.* Tandem concludit, qui me colere & confiteri vult, honoret me, & qui piam vitam agit, ei conferam salutem meam. Hunc sensum ope accentuum erutum nemo facile improbabit, cuivis enim lectori

est

est obvius & perspicuus, nihilominus tamen LXX. & Vulgatus, verba in longe alium sensum detorserunt, codice punctato destituti, nam vertunt:

Sacrificium laudis honorificabit me, & ibi est via, qua ostendam illi salutare DEI.

Multum recesserunt a veritate hebraica, nam loco זֹבֵחַ *sacrificans* legerunt זֶבַח *sacrificium*, & loco שָׂם *& ponens* legerunt וְשָׁם *& ibi.* Nec eorum sensus tam bene ad antecedentia quadrat, in quibus Deus hypocriticum cultum redarguit. Multo concinnius vero dicitur: *qui me vult confiteri & colere, ille decenti etiam honore & timore me veneretur*; quam si dicas, *sacrificium laudis honorificabit me.* Multa enim sacrificia laudis absque interiori cordis intentione & emendatione peracta, Deum non honorant,

§ VIII.

Accentuum neglectu etiam v. 23. Prov. XXVIII. a multis minus recte versus

ſus eſt, quamvis & vox אַחֲרַי pleroſque a vero ſenſu retraxerit.

מוֹכִיחַ אָדָם אַחֲרַי חֵן יִמְצָא מִמַּחֲלִיק לָשׁוֹן׃

Redarguens hominem tardantem | gratiam inveniet ֖ *magis quam ille, qui blanditur lingua* ׃


Ita verba vertenda eſſe exiſtimo. Tres priores voces conjungendæ ſunt, quia ֖ Tiphcha anterior duos ſervos ſibi præmittit, ex quo apparet, quod אדם אחרי ſenſu connexo, vertenda ſint. אחרי in quibusdam codicibus punctatur אַחֲרַי quod obſervavit Mercer. in Commentario in h. l. quam etiam lectionem inveni in Bibliis majoribus Buxtorfii, nec non in Prov. libro ſeparatim a R. Mardochai Ben Schlita excuſo. Putat Mercerus, quod אַחֲרַי ſit poſitum pro אַחֲרֵי כֵן *poſtea*, poſt increpationem nempe, ut ſenſus ſit: *redarguens hominem, poſtea inveniet gratiam.* Sed quivis facile obſervat, quod hæc verſio contra accentus ſit, ponitur enim comma in voce conjuncta per ֣ Munachum, ſe-

sequensque vox ad sequentia refertur, quæ ad antecedentia pertinet. Plerique codices legunt אַחֲרַי &, uti videtur, multo rectius, status enim constructus אַחֲרֵי nunquam pro אַחֲרֵי בֵן invenitur positus. Quid vero significet אַחֲרַי lectoribus Codicis obscurum esse non potest, frequentissime enim occurrit, & *post me* exponitur, quæ tamen significatio nostro textui non convenit, nullus enim sensus est, si vertas: *qui redarguit hominem post me, gratiam inveniet.* Ex proprio vocis significatu vox explicanda est. אָחַר proprie est, *remansit*, *moratus est*, *tardavit.* Gen. XXXII, 4. LXX. vertunt χρονίζω *moror* Gen. XXXII, 4. XXXIV, 19 &c. κατέχω *detineo* Gen. XXIV, 56. βραδύνω *differo*, Deut. VII, 10. Videtur mihi quod ex hac radice formetur nomen ad formam שַׁדַּי *omnipotens*, pro שַׁדְּדַי a שׁדד. Sic אַחֲרַי est *redardans*, *remanens*, *morans*, ut sensus sit, *qui redarguit hominem tardantem, ignavum, inveniet gratiam.* Approbat hanc versionem versus antecedens: *Qui festinat ad divitias, est vir mali oculi, & nescit, quod defectus ipsi obveniet.* Sermo est de viro qui opibus nimium

mium inhiat, & desiderio divitiarum perpetuo turbatus est. In sequenti versu sermo est de ignavo & tardo, qui sibi suisque plane non prospicit, de quo dicitur: *Quod ille, qui ignavum & tardum hominem redarguit, gratiam invenerit, & quidem majorem, quam assentator.* In priori redarguitur nimia habendi cupido, in posteriori nimia tarditas. Hunc sensum vidit Kimchius in Rad. אחר, quem repetit Abendana in spicilegio ad h. l. אחרי שם תאר ופירושו מוכיח אדם שהוא נסוג אחור חן ימצא ממחליק לשון: H. e. *Vox* אחרי *est nomen Adject. sensusque est, qui hominem recedentem redarguit, gratiam inveniet, præ assentatore.* LXX. nostra verba reddunt: ὁ ἐλέγχων ἀνθρώπου ὁδοὺς, *qui corripit hominis vias, gratias reportabit magis eo, qui lingua gratificatur.* Ni fallor loco אחרי legerunt ארח *via*, corrupte satis. Frequenter enim literas transponunt, aliasque omittunt, uti ex Critica Capelli notum est. Vulgatus vocem transposuit, cujus sensum non assecutus est, vertit enim: *qui corripit hominem, gratiam postea inveniet.* Chaldæus transtulit קדמוי *coram eo*, videtur legisse אחריו *post eum.* Ex quibus apparet, quod hodiernam le-

ctionem agnoverint, licet ejus sensum non penetraverint. Reliqua omnia sunt clara; nam *gratiam invenire apud aliquem*, est gratum atque acceptum esse alicui, alicujus benevolentia frui, uti notum. Ultima denique verba si ex idiotismo linguæ frequentissimo explicentur, sensum aptissimum reddunt, quem in versione expressi. Totus versus in duo membra ‸ Atnacho est distinctus: *Redarguens hominem tardum, gratiam inveniet* ‸ *Magis quam ille qui blanditur lingua*. Junius & Tremellius ita transtulerunt: *Qui corripit hominem, ut sequatur me, gratiam consequetur potius, quam qui blanditur lingua.* Sed gratis voci אַחֲרַי tribuit sensum, *ut sequatur me*, quem neque etymologia, neque loca parallela neque accentus permittunt. De etymologia supra dictum est, & loca parallela nullibi prostant. Si sensus Junii & Tr. valeret, Auctor accentuum Paserem potius in אדם posuisset, quam Munachum, conf. supra p. 169. Membrum enim Tiphchæ ant. cum distinctione quadam esset legendum, quod secundum accentus conjunctim legitur.

INDEX



INDEX I.

LOCORUM EXPLICATORUM.

Ps.



INDEX II.
RERUM PRÆCIPUARUM.

Ac-

Eſra

Metheg

Pro-

R.

S.

Segoltæ

Sym-

Versus

FINIS.

EMENDANDA.

P. 51. lin. 9. pro *reperitur* [symbol] lege *reperitur* [symbol], & [symbol] p. 212. l. 23. pro *judicio* lege *indicio*. p. 220. l. 12. pro כתפין lege כתבין p. 224. l. 9. pro *per quas* lege *per quos*. p. 241. l. ult. pro *membra* lege *umbra*. p. 272. l. 5. pro *Parisiir* lege *Parisiis*.

